DE

HESIODI CARMINE

QUOD

OPERA ET DIES INSCRIBITUR.

SCRIPSIT

ANGELUS DEMETRIUS KAPPOTAS,

LL. AA. MAG. ET PHIL. DOCTOR.

LIPSIAE

APUD ADOLPHUM WINTER.

1856.

VIRO PLURIMUM REVERENDO

CONSTANTINO KONTOGONI,

THEOLOGIAE IN UNIVERSITATE OTTONIANA PROFESSORI,

HAS STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS

GRATI DEVOTIQUE ANIMI SIGNIFICANDI CAUSA

D. D. D.

D. KARPOTAS.

Inter cetera Hesiodi carmina numerantur etiam *Ἔργα καὶ Ἡμέραι*, de cujus forma antiquissima ac dispositione viri docti usque ad hunc diem vario modo laborant (confer Rankium de Hesiodi Operibus et Diebus pag. 16 seqq.; Goettlingium in praef. p. XXXV seqq. ed. alt.; Vollbehrium de Hesiodi Operibus et Diebus in prolegomenis p. 3 seqq.). Sed nobis visum est breves quasdam adnotationes tum hermeneuticas tum criticas in hac dissertatione afferre. Didacticum est et quidem antiquissimum inter graecas, quae exstant, literas, in quo heroica in georgicam mutatur sapientia, referturque ad Persem, fratrem poetae. Hic quum illum docere, quomodo bene beateque vivere liceret, simulque demonstrare omnium malorum fontem esse desidiam, sibi proposuisset, multis praeceptis de vita communi depromptis utitur, quibus apologos et fabulas, ut res postulat, inserit. Ionicam dialectum magis usurpat quam Aeolicam.

Lycius Proclus Diadochus *ἐν τῷ ὑπομνήματι εἰς τὰ Ἡσιόδου Ἔργα καὶ Ἡμέρας* (apud Vollbehrium ad versum 1.) haec exposuit: *τὴν μὲν Θεογονίαν ὁ γενναῖος Ἡσίοδος δοκεῖ μοι συνθεῖναι πάσης τῆς περὶ τὸν κόσμον τῶν θεῶν προνοίας τὰς ἀρχὰς ἐθελῆσαι παραδοῦναι τοῖς μεθ' ἑαυτὸν κατὰ τὴν πάτριον τῶν Ἑλλήνων φήμην ἀπὸ τῶν ἐν τοῖς ἱεροῖς θρυλλουμένων μύθων τὸ σύγγραμμα πᾶν ἐργασάμενος· τὰ δὲ Ἔργα καὶ τὰς Ἡμέρας τὸ βιβλίον εἰς οἰκονομίαν καὶ ἀπράγμονα ζωὴν παρακαλῶν τοὺς ἀνθρώπους ἀπὸ τῆς ἀγοραίου καὶ φορτικῆς, οὐχ ἁπλῶς εἰς ἡδονὴν ἀποβλέπων τῶν ἐντευξομένων, ἀλλὰ ταύτην μὲν πάρεργον θέμενος, τὴν δὲ ὠφέλειαν τὴν εἰς τὸ ἦθος προηγούμενον σκοπὸν ποιησάμενος, ἵνα, τὸν ἴδιον βίον κοσμήσαντες, καὶ τῆς περὶ τὸ θεῖον γνώσεως ἐπίβολοι γενώμεθα. Διὸ καὶ ἀπὸ τούτου προσήκει τοῦ συγγράμματος ἄρχεσθαι· τοὺς γὰρ τὸ ἦθος ἀκοσμήτους τὸν κόσμον γνῶναι παντελῶς ἀδύνατον. Ὁ μὲν οὖν σκοπὸς τοῦ βιβλίου παιδευτικός· τὸ δὲ μέτρον ὥσπερ ἥδυσμά τι τῷ σκοπῷ τούτῳ τῆς ἑρμηνείας ἐπιβέβληται, θέλγον τὰς ψυχὰς καὶ κατέχον εἰς τὴν πρὸς αὐτὸ φιλίαν. Διὸ καὶ ἀρχαιότροπός ἐστιν ἡ ἐν αὐτῷ τῆς ποιητικῆς ἰδέα· τῶν γὰρ καλλωπισμῶν καὶ τῶν ἐπιθέτων κόσμων καὶ μεταφορῶν ὡς τὰ πολλὰ καθαρεύει· τὸ γὰρ ἁπλοῦν καὶ τὸ αὐτοφυὲς πρέπει τοῖς ἠθικοῖς λόγοις* . . . . . Et (v. 27.): *Τὸ ποίημα γέγραπται πρὸς τὸν Πέρσην τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ. Νουθεσία δὲ καὶ δικαιολογία· νειμάμενος γὰρ τὴν πατρῴαν οὐσίαν κατηνάλωσε θεραπεύων τοὺς ἐν τῇ πολιτείᾳ, καὶ καταδυναστεύων Ἡσιόδου, καὶ πολλὰ παρενοχλῶν ἐζημίου πρὸς ἄρχοντας καὶ κριτήρια ἕλκων διὰ τὴν τῶν χρημάτων ἐπίθεσιν.*

Jam antiquitus non solum ab ipsis Boeotis *ἀκέφαλον* traditur, teste Pausania (IX. 31.): *Βοιωτῶν δὲ οἱ περὶ τὸν Ἑλικῶνα οἰκοῦντες παρειλημμένα δόξῃ λέγουσιν, ὡς ἄλλο Ἡσίοδος ποιῆσαι οὐδὲν ἢ τὰ Ἔργα· καὶ τούτων δὲ τὸ εἰς τὰς Μούσας ἀφαιροῦσι προοίμιον, ἀρχὴν τῆς ποιήσεως εἶναι τὸ εἰς τὰς Ἔριδας λέγοντες. Καί μοι μόλιβδον ἐδείκνυσαν, ἔνθα ἡ πηγή, τὰ πολλὰ ὑπὸ τοῦ χρόνου λελυμασμένον· γέγραπται δὲ αὐτῷ τὰ Ἔργα·* sed etiam a Praxiphane, Theophrasti discipulo, et ab Aristarcho, illustrissimo grammatico, secundum Proclum (l. c.): *ὅτι δὲ τὸ προοίμιόν τινες διέγραψαν, ὥσπερ ἄλλοι τε καὶ Ἀρίσταρχος ὀβελίζων τοὺς στίχους, καὶ Πραξιφάνης ὁ τοῦ Θεοφράστου μαθητής, μηδὲ τοῦτο ἀγνοῶμεν. Οὗτος μέντοι καὶ ἐντυχεῖν φησιν ἀπροοιμιάστῳ τῷ βιβλίῳ καὶ ἀρχομένῳ χωρὶς τῆς ἐπικλήσεως τῶν Μουσῶν ἐντεῦθεν, Οὐκ ἄρα μοῦνον ἔην Ἐρίδων γένος. Καὶ γὰρ τοῦτο πρέπον ἦν, ὡς ἔοικεν, ἀνδρὶ γράφειν ἄνευ σκηνῆς ποιητικῆς ἐγχειροῦντι καὶ πρὸ θυρῶν ὄγκον ἐπιδεικνυμένῳ περιττόν. Ἐπάγεται δέ τινας τὸ μὴ ἀπὸ τοῦ Ἑλικῶνος καλεῖν, Βοιωτὸν ὄντα, τὰς Μούσας, ὥσπερ ἐν τῇ Θεογονίᾳ πεποίηκεν, ἀλλ' ἀπὸ τῆς Πιερίας, εἰς τὸ μὴ προσίεσθαι τὸ προοίμιον· τάχα δ' ἂν εἴη καὶ τοῦτο παιδευτικόν, εἰς τὸ μὴ πάντα τὰ οἰκεῖα σεμνύνειν, ἀλλὰ καὶ τὰ παρ' ἄλλοις ὄντα μειζόνως ἀγαθὰ προτιμότερα τῶν οἰκείων τίθεσθαι· καὶ γὰρ τὰς Μούσας τετέχθαι μὲν ἐν τῇ Πιερίᾳ φασὶν, ἐν δὲ τῷ Ἑλικῶνι χορεύειν, τῆς μὲν Πιερίας τὴν ὑπὲρ τὸν κόσμον τάξιν δηλούσης, ἀφ' ἧς εἰς τὸν κόσμον προῆλθε, τοῦ δὲ Ἑλικῶνος τὴν ἐγκόσμιον· ἐν γὰρ τούτῳ χορεύουσι ταῖς σφαίραις ἐννέα οὔσαις ἐπιβεβηκυῖαι.* Tzetzes (apud Gaisford. ad locum) haec observat: *ἰστέον, ὅτι Ἀρίσταρχος καὶ ἕτεροι ὀβελίζουσι τὸ προοίμιον, καὶ Πραξιφάνης, ὁ μαθητὴς Θεοφράστου, λέγων ἀπροοιμιάστῳ βιβλίῳ ἐντυχεῖν ἀρχομένῳ ἐντεῦθεν, Οὐκ ἄρα μοῦνον ἔην ἐρίδων γένος.* Nec agnoscere videtur Plutarchus (sympos. IX. 1.): *ᾄσαντος δὲ (Ἡσιόδου) τὰ πρῶτα τῶν Ἔργων, Οὐκ ἄρα μοῦνον.* Herodianus (*περὶ σχημ.* p. 49. ed. Dind.), citato versu 2. exordii, subjicit: *εἴ γε γνήσιον Ἡσιόδου τὸ προοίμιον τίθεμεν.* Unde Brunckius abjudicandum Hesiodo censuit fecitque prooemium ex sua editione exsulare. At contra versus exordii 1—10. in *Ἔργοις* citant, ut Hesiodeos, Dio Chrysostomus (priores novem in Orat. XII.); versum 1. Draco Stratonicenus (p. 77. 27. seq.); versum 2. Eustathius (ad Il. p. 9. ad Od. p. 1383. 32. p. 1809. 13.); versum 3. idem (ad Il. p. 52); versum 5. Aristides (T. I. p. 338. ed. Dind.); versus 9. finem et initium sequentis Etymologicum M. (p. 314. 43.); versum 10. Draco Straton. (p. 89. 14.); Eustathius (ad. Il. p. 573. p. 1044. 42. ad Od. p. 1359. 33. Vide Lennepium in Commentario in Hesiodi Opera et Dies vv. 1—10.). Ex recentioribus D. Heinsius ex Plutarchi loco citato collegit exordium hoc *Ἔργοις* additum esse a Grammatico quodam (conf. Brunckii notam ad Apollon. Rhod. I. 643). Jubente Goettlingio (ad l.), *v. 1—9 est hymnus in Jovem huc translatus, ut vetus illud ab Jove principium etiam hic opportuna praeberet initia poemati, ut videbatur, ἀκεφάλῳ.* Hermannus in censura Goettlingianae primae prooemium hoc unum esse dicit ex iis, quibus pro lubitu uteretur ἀοιδός, ut recitando ab se carmini praeluderet. Sed Rankius (l. l. p. 31.), Lennepius (l. c.), Vollbehrius (l. l. p. 17.) aliique hujus prooemii genuitatem affirmare contendunt (conf. Bodium in: Geschichte der epischen Dichtkunst der Hellenen p. 430. not. 1.). Nobis vero sententia Clerici

patris a rhapsodo quodam vetustissimo illud praefixum esse probanda videtur. Vetustatem in eo minime spernendam etiam Wolfius agnovit (in prolegomenis ad Homerum p. CCXLVIII. et in: Alterthumswissenschaft II. p. 189 seq.). Judice Spohnio, prooemium non est Hesiodi, sed rhapsodorum, qui Hesiodi carmen decantaturi, poetae partes et personam imitabantur. Quae in exordio continentur, ad Jovis omnipotentiam et in omnibus praesentiam attinent (conf. infra vv. 18. 19.).*

In versum 2:

δεῦτε δὴ ἐννέπετε σφέτερον πατέρ᾽ ὑμνείουσαι

vocabulum δὴ melius quadrat, quam Δί', quod Goettlingius et nuperrime Vollbebrius retinuerunt; illud enim plerique tum libri manu scripti tum Hesiodi Scholiastae exhibent, teste Lennepio (in variis lectionibus ad h. v.). Legerunt δὴ etiam Dio Chrysostomus (Orat. XII.) et Herodianus (in Villoisoni Anecdotis p. 89. Conf. etiam Schol. Venet. ad Il. *Α*. 1.). Praeterea in lectionem Δί' offendit etiam repetitio verborum σφέτερον πατέρ᾽ (v. 2.), ὅν τε διὰ (v. 3.), Διὸς μεγάλοιο (v. 4.), quae omnia Jovem respiciunt.

Versus 9. 10:

κλῦθι ἰδὼν ἀΐων τε, δίκῃ δ᾽ ἴθυνε θέμιστας
τύνη· ἐγὼ δέ κε Πέρσῃ ἐτήτυμα μυθησαίμην,

supplicem poetam ad Jovem se convertere ostendunt, ut recte scholiastae et recentiorum multi observant. Πέρσῃ igitur (v. 10.) dativus neque vocativus est, ut D. Heinsius censuit, cujus conjecturam Goettlingius (ad l.) cum aliis approbavit. Sed recte Graevius cum Lanzio, Proclum (v. 9: ὡς πάντα ἐφορῶν καὶ ἀκούων τῶν γινομένων, ἐπόπτης γενοῦ· καὶ μὴ μόνον δι᾽ ἀκοῆς δέξαι τὰ ῥηθησόμενα, ἀλλὰ καὶ δι᾽ ὄψεως ἴθυνον. . . . Ὁρᾶν δὲ τὸν Δία πάντα καὶ ἀκούειν πάντων εἴρηκεν ὡς πάντων ἔφορον· ὁρῶντα μὲν τὰς πράξεις ἡμῶν, ἀκούοντα δὲ τῶν λόγων, ὧν φθεγγόμεθα οἱ ἄνθρωποι. . . . Σύ, φησιν, ἴθυνον· ἐγὼ δὲ καταλέξω τῷ Πέρσῃ), ut videtur, secuti objecerunt, Jovis fuisse, non Persae, ἰθύνειν θέμιστας (conf. Lennep. in com. ad h. v.). Versum 10. respicit Draco Stratonicenus (p. 89. 14.), Eustathius (ad Il. p. 573. p. 1044. 42. p. 1359. 33.), Etymologicum M. (v. ἐγὼν p. 314. 42.). Vocabulum τύνη omnes cum Proclo, Tzetze, Moschopulo ἀντὶ τοῦ σὺ (conf. v. 641.) dictum accipiunt, qua significatione usurpavit etiam Homerus Il. *Ε*. 485:

τύνη δ᾽ ἕστηκας, ἀτὰρ οὐδ᾽ ἄλλοισι κελεύεις,

et *Ζ*. 262:

ὡς τύνη κέκμηκας ἀμύνων τοῖσιν ἔτῃσιν. (Conf. etiam Il. *Π*. 64.)

Igitur quod legitur (in scholiis MSS. d'Orvillii apud Gaisford. l. l. T. III. p. 39.): Πολύζηλος δὲ ἐν Ῥοδιακοῖς Τύνη ἄρχοντα Χαλκιδέα φησίν, ἀφ᾽ οὗ κρίνεσθαι τὸν Ἡσίοδον μετὰ τοῦ ἀδελφοῦ, excogitatum est. Judicium Goettlingii, qui versum 10. expunxit ut ineptissimum foetum scioli, ridicule

* Quod ad textum hujus carminis spectat, editionem sequimur David Jacobi van Lennep, Hesiodi Opera et Dies. Amstelodami MDCCCXLVII.

poetam opponentis Jovi, absurdum est. Hermannus (in Opusculis T. VI. p. 220.) τύνη per *age* interpretatur, citans versum 36. in Theogonia:

τύνη Μουσάων ἀρχώμεθα, ταὶ Διὰ πατρί.

Sed rectissime observat Lennepius (l. c.): *at vero non par est utriusque loci ratio, et hoc loco, quo minus τύνη sic accipiatur, obstant sequentia ἐγὼ δέ κε Π. ἐ. μ., ita ut cogant nos cum Proclo et aliis statuere, opponi sibi invicem τύνη· ἐγὼ δέ κε. Tum quid, quaeso, in hoc est ridiculi, quod poeta, dum ipse fratrem admonendo suas acturus erat partes, Jovem precatur, ut pariter illud exsequi velit, quod proprium ipsius munus erat, justitiam in terris tueri?*

In versibus 11—26 duo Contentionum deae proponuntur, quarum altera ad beatitudinem ducit, quae bona (v. 24.) ideoque colenda est; hanc enim primam Jupiter animis hominum inseruit; altera in perniciem, quae mala (v. 15.) ideoque vitanda est. At in Theogonia (v. 225.) una tantum Contentio memoratur. Itaque conjunctio ἄρα (v. 11.) recte hic postea dicta esse videtur, cohaerentiam indicans. Nam tamquam meliora poeta doctus, fratre inerte avaroque, magistratibus largitionibus corruptis, nulla lege observata, indignatur, et, revocans in mentem, quae olim in Theogonia dixerat, haec verba exclamat: οὐκ ἄρα μοῦνον ἔην Ἐρίδων γένος. Scholiasta Apollonii Rhodii ad explicandum versum 440 (in Argonaut. lib. II.):

Ἦ ἄρα δή τις ἔην, Φινεῦ, Θεὸς, ὅς σέθεν ἄτης

haec notat: τὸ ἦ ἄρα ἠθικῶς ἀντὶ τοῦ ὡς ἔοικε· καὶ ἐν Ὀδυσσείᾳ (*P.* 454.)·

οὐκ ἄρα σοί γ' ἐπὶ εἴδεϊ καὶ φρένες ἦσαν·

καὶ Ἡσίοδος·

οὐκ ἄρα μοῦνον ἔην Ἐρίδων γένος·

οὐκ ἦν, ὡς ἔοικε μία Ἔρις (conf. Schol. Victor. ad Homeri Il. *P.* 147. apud Heynium T. VII. p. 792.). Similia sunt (Od. *I.* 475.):

Κύκλωψ, οὐκ ἄρ' ἔμελλες ἀνάλκιδος ἀνδρὸς ἑταίρους·

et (Bergk. p. l. m. fragm. 3.):

οὐκ ἄρα Τιμοκρέων μοῦνος, ὃς Μήδοισι ὁρκιοτομεῖ.

Quam ob rem Lennepii (in com. vv. 1—10.) sententiam, qui, quamquam ipsum carmen esse sine prooemio confiteri videtur, tamen ipsi poetae tribuere non dubitat, quod contra morem Epicorum sui temporis esset, hanc comprobamus. Neque Rankio (l. c.) Vollbehrioque (l. l. p. 21.) assentimur, qui item Hesiodo non abjudicare contendunt. Versum 11. et duo sequentes citant etiam Plutarchus (Conv. Quaest. IX. 1. 2.) et Lucianus (Amor. c. 37. T. II. p. 439. apud Lennep. in com. ad h. v.).

Jam etiam apud veteres disputatur de recta interpretatione versuum 18. 19:

θῆκε δέ μιν Κρονίδης ὑψίζυγος, αἰθέρι ναίων
γαίης τ' ἐν ῥίζῃσι καὶ ἀνδράσι, πολλὸν ἀμείνω·

obscurum enim sensum vocabulum *ναίων* (v. 18.) exhibet. Tzetzes cum Moschopulo ita construunt: *Ζεὺς αἰθέρι ναίων, θῆκέ μιν γαίης τ' ἐν ῥίζῃσι καὶ ἀνδράσι·* aliter Proclus: *Ζεὺς ναίων (ἐν τῷ) αἰθέρι γαίης τ' ἐν ῥίζῃσι καὶ ἀνδράσιν (ὁ Ζεὺς ὁ ἐν τῷ αἰθέρι ναίων καὶ ἐν τοῖς ἀνδράσι καὶ ἐν ταῖς ῥίζαις τῆς γῆς ἀμείνω τὴν ἔριν ἔθηκε ταύτην ἐκείνης, ἵνα διὰ μὲν τοῦ αἰθέρος δηλώσῃ τὸ ἀκρότατον· διὰ δὲ τῶν ἐν τῇ γῇ ῥιζῶν, τὸ ἔσχατον· διὰ δὲ τῶν ἀνδρῶν τὸ μέσον· οὔτε αἰθερίων ὄντων οὔτε χθονίων (φυτῶν)· διὰ πάντων δὲ, ὅτι πανταχοῦ ἐστι τὸ θεῖον καὶ ἐν πᾶσι, πρώτοις, μέσοις, ἐσχάτοις* (apud Vollbehr. ad h. v.). Quaeritur igitur, utrum probandum sit. Goettlingius (in alt. ed. v. 19.) Procli sententiam amplectitur; Hermannus autem (in Opuscc. VI. p. 221.), quocum Rankius (l. l. p. 11. seq.) Vollbehriusque (l. l. p. 22.) concinunt, Orphicam et Christianam magis eam esse sententiam quam Hesiodeam animadvertit. At vero eosdem duo versus Jovis omnipotentiam et in omnibus praesentiam eloqui non solum ipsum declarat prooemium, quamvis spurium, sed etiam totum carmen; omnia enim Jupiter regit moderaturque. Et prorsus ita rem se habere demonstrant versus 105:

οὕτως οὔτι πῃ ἔστι Διὸς νόον ἐξαλέασθαι·

et 267—268:

πάντα ἰδὼν Διὸς ὀφθαλμὸς καὶ πάντα νοήσας
καί νυ τάδ', αἴ κ' ἐθέλῃσ', ἐπιδέρκεται, οὐδέ ἑ λήθει·

et 276—279:

τόνδε γὰρ ἀνθρώποισι νόμον διέταξε Κρονίων,
ἰχθύσι μὲν καὶ θηρσὶ καὶ οἰωνοῖς πετεηνοῖς
ἔσθειν ἀλλήλους, ἐπεὶ οὐ δίκη ἐστὶν ἐν αὐτοῖς·
ἀνθρώποισι δ' ἔδωκε δίκην, ἣ πολλὸν ἀρίστη.

et 667—669:

εἰ μὴ δὴ πρόφρων γε Ποσειδάων ἐνοσίχθων,
ἢ Ζεὺς ἀθανάτων βασιλεὺς ἐθέλῃσιν ὀλέσσαι·
ἐν τοῖς γὰρ τέλος ἐστὶν ὁμῶς ἀγαθῶν τε κακῶν τε.

Quibus addas et Archilocheum (Bergk. l. l. frag. 79.):

ὦ Ζεῦ, πάτερ Ζεῦ, σὸν μὲν οὐρανοῦ κράτος,
σὺ δ' ἔργα ἐπ' ἀνθρώπων ὁρᾷς,
λεωργὰ κἀθέμιστα, σοὶ δὲ θηρίων
ὕβρις τε καὶ δίκη μέλει.

Ex his igitur constat recte Proclum interpretatum esse, et omnis tollitur ambiguitas, expuncta virgula post *ναίων*. Neque bene censuit Goettlingius hos duo versus postea additos esse; nam optime congruunt cum consilio poetae omnia ad Jovem supremum rerum humanarum arbitrum referentis (conf. Lennep. in com. ad h. v.).

Versus 25. 26:

καὶ κεραμεὺς κεραμεῖ κοτέει καὶ τέκτονι τέκτων,
καὶ πτωχὸς πτωχῷ φθονέει καὶ ἀοιδὸς ἀοιδῷ,

multis interpolatoris esse videntur, quia κοτέει et φθονέει de Contentione bona dici non potuerint (conf. Twestenium in commentatione de carmine Hesiodi, quod inscribitur Opera et Dies p. 14.; Lehrsium de Hesiodi Operibus et Diebus in Quaestionibus Epicis p. 222.; qui ambo in his explicandis versibus scholiastam Anonymum secuti esse videntur: *προτρέπεται πρὸς γεωργίαν διὰ τοῦτο· ἐν γὰρ ταῖς ῥίζαις ὑφίσταται ἡ ἀγαθὴ ἔρις, οὐχὶ δὲ ἐν ταῖς ἀδικίαις· ἢ ὅτι ἐκ τοῦ ἀφανοῦς καὶ ἀδήλου παρυφίσταται τὰ κακὰ καὶ τὰ ἀγαθά.* Τοῦτο δὴ μᾶλλον ἐπανάγειν εἰς τὰ εἰρημένα περὶ τῆς χείρονος ἔριδος· καὶ γὰρ τὸ κοτέειν καὶ φθονεῖν κακά ἐστι, καὶ ἐκείνης οἰκεῖα, καὶ οὐ τῆς ἀμείνονος). Goettlingius eos quamquam ab antiquo poeta profectos, tamen post adjectos esse censet, ceterum contineri his proverbium cum reliquis non conjungendum. Immo vero, si modo Hermannum audias (in Opuscc. VI. p. 221.): ἀγαθὴ δ' Ἔρις ἥδε βροτοῖσιν *ut in parenthesi dicta accipiantur*, optime cohaerent et ad bonam Contentionem trahunt. Sequitur Platonis testimonium (in Lyside p. 215. C.), qui hunc locum item ad bonam Contentionem referendum esse intellexit: *ἤδη ποτὲ τοῦ ἤκουσα λέγοντος, καὶ ἄρτι ἀναμιμνήσκομαι, ὅτι τὸ μὲν ὅμοιον τῷ ὁμοίῳ καὶ οἱ ἀγαθοὶ τοῖς ἀγαθοῖς πολεμιώτατοι εἶεν. Καὶ δὴ καὶ τὸν Ἡσίοδον ἐπήγετο μάρτυρα, λέγων, ὡς ἄρα*

καὶ κεραμεὺς κεραμεῖ κοτέει καὶ ἀοιδὸς ἀοιδῷ,
καὶ πτωχὸς πτωχῷ.

Praeterea ipsum locum sic intelligunt tum Plutarchus (in Conv. Quaest. I. II. 6. p. 618. F.; de Tranq. animi T. II. p. 473. A.), tum Dio Chrysostomus (Orat. LXXVII. apud Lennep. in com. ad h. v.). Ceterum quae apud ipsum Plutarchum (l. l. p. 92. A.) extant: *οὐ γὰρ κεραμεῖ δεῖ κεραμέα φθονεῖν, οὐδὲ ἀοιδὸν ἀοιδῷ, καθ' Ἡσίοδον, οὐδὲ γείτονα ζηλοῦν, οὐδὲ ἀνεψιὸν, οὐδὲ ἀδελφὸν εἰς ἄφενος σπεύδοντα καὶ τυγχάνοντα χρηστῶν πραγμάτων*, in sententiam dictam offendunt ideoque ad malam Contentionem trahere videntur. Unde plane patet voces ζηλοῖ (v. 23.), κοτέει (v. 25.) et φθονέει (v. 26.) medias esse. Id affirmat tum verbum ζηλοῖ (v. 23.), quod hic bonam Contentionem respicit, tum vocabulum ζῆλος (v. 194.), qui κακόχαρτος appellatur locumque malae Contentionis occupat, tum glossa Vaticana: κατάχρησις εἰς τὸ κοτέει καὶ φθονέει (apud Lennep. l. c.). Cum his congruit et Vellejus (I. c. 17.), qui ait: *alere aemulationem ingenia, et nunc invidia, nunc admiratione imitationem accendi.* Ex his igitur, quae dicta sunt, et ex eo, quod hic contextus tenor postulat, versus 25. et 26. ad bonam Eridem pertinere lucescit. Nec non Rankius male judicat (l. l. p. 45.): *verum si ex tali invidia et obtrectatione nullae rixae exoriuntur, sed labores potius augentur, non est de mala Contentione cogitandum.* Bonam Contentionem intelligunt etiam Lennepius (l. c.: scilicet bona est Eris quatenus hominum industriam excitat) Vollbehriusque (l. l. p. 24.). Versus 25. respiciunt Aristoteles (in Rhet. II. 4. et 12. Pol. V. 10. Conf.

etiam Ethic. VIII.) et Philostratus (de Vit. Soph. p. 544.); versum 26. Scholiasta ad Euripidis Andromachem (v. 471. ed. Lenningii apud Lennep. l. c.).

In versibus 27—105. poeta fratrem, cujus gratia totum instituit carmen, apte monet, egeno non licere litibus rixisque studere neque in foro morari; hoc enim divitis est; sed laborare suamque rem pro viribus augere. Hanc enim vivendi rationem tum optimam esse, tum ad felicitatem ducere contendit. Praeter ea, quae acerbum in modum expressa sunt, sagacissime Promethei et Pandorae utitur fabulis, quarum illa calliditatem ac dolum, haec avaritiam significat; quae omnia in Persem optime cadunt, ut ex versibus 38. 39. constat.

Perses dum interea importuna fori cura negligebat rem familiarem, quam, patre mortuo, ex patrimonii divisione acceperat, ad inopiam redactus, victum sibi parare cogitavit, si fratri litem intenderet. Itaque tanquam plus aequo de paterna hereditate accipientem in jus vocat, et, judicibus largitionibus corruptis, petit ab eo, ut patrimonium denuo partirentur, ut ex versibus 34—39. liquet:

κτήμασ' ἐπ' ἀλλοτρίοις· σοὶ δ' οὐκ ἔτι δεύτερον ἔσται
ὧδ' ἔρδειν· ἀλλ' αὖθι διακρινώμεθα νεῖκος
ἰθείῃσι δίκαις, αἵ τ' ἐκ Διός εἰσιν ἄρισται·
ἤδη μὲν γὰρ κλῆρον ἐδασσάμεθ', ἄλλα τε πολλὰ
ἁρπάζων ἐφόρεις, μέγα κυδαίνων βασιλῆας
δωροφάγους, οἳ τήνδε δίκην ἐθέλουσι δικάσσαι.

At mavult poeta, ut ipsi domi melius se reconciliarent aequo pacto, proponitque: *ἀλλ' αὖθι διακρινώμεθα νεῖκος Ἰθείῃσι δίκαις, αἵ τ' ἐκ Διός εἰσιν ἄρισται*, ad quamvis talium judicum sententiam effugiendum. Locus: *σοὶ δ' οὐκ ἔτι δεύτερον ἔσται Ὧδ' ἔρδειν* fratris vitam hactenus transactam denotat (conf. vv. 29—31.; Proclum v. 34.: *μετὰ τὴν διανομὴν τῶν πατρῴων ἥρπαξας τἀμὰ τοῖς ἄρχουσι χρώμενος συμμάχοις καὶ ἐμὲ συκοφαντῶν· οὐκ ἔτι δὲ καὶ δεύτερον ὑπάρξει σοι διὰ τὴν φιλοπραγμοσύνην τὰ ἐμὰ ἁρπάζειν προςιόντι πάλιν ἐκείνοις, κἀμὲ συκοφαντοῦντι*). Locum: *ἀλλ' αὖθι διακρινώμεθα νεῖκος Ἰθείῃσι δίκαις*, ita Proclus (ad h. v.) recte interpretatur: *ἀλλὰ νῦν μεταξὺ ἡμῶν ἀλλήλους διαλυσώμεθα ταῖς δικαίως κρινομέναις δίκαις ἐπ' εὐθείαις. Αὖθι* autem (conf. v. 44.: *τὸ δ' ἔργον ἐτώσιον αὖθι λίποιεν.* Hom. Il. *Α.* 492: *αὖθι μένων. Ζ.* 281.: *ὥς κέ οἱ αὖθι Γαῖα χάνοι. Η.* 100. *ἥμενοι αὖθι ἕκαστοι ἀκήριοι.*) pro *αὐτόθι* (conf. v. 96.: *μούνη δ' αὐτόθι Ἐλπίς.* Od. *Ι.* 29: *ἡμέν μ' αὐτόθ' ἔρυκε*) hic dicitur, i. e. *οἴκοι* (conf. v. 365.: *οἴκοι βέλτερον εἶναι, ἐπεὶ βλαβερὸν τὸ θύρηφιν*), quocum et verba *ἰθείῃσι δίκαις* congruunt; *de loco* enim rectius explicaretur, quod Tzetzes (ad h. v.) monet, quam *de tempore*, ut Hermannus (in Opuscc. VI. p. 145.), Proclum Moschopulumque (ad h. v.), ut videtur, secutus interpretatur. Sententia, quam Mitscherlichius per *denuo* (apud Goettling. ad v. 35.) et Goettlingius per *iterum* (l. c.) reddunt, nimis excogitata est; neque elucet, unde talem educere possis. De *loco* intellexerunt etiam Spohnius aliique (conf. Bod. l. l. p. 422.). Lennepius (in com. vv. 34 seqq.) haec exprimit: *αὖθι* (v. 35.) *non est in posterum, rursus,*

denuo, ut recentiorum interpretum plerique reddiderunt, sed, ut recte Veteres, αὐτόθι, ἐν τῷ παρόντι, νῦν *(conf. Hermann. l. c.).* Nunc vero quaeritur, de quonam loco τὸ αὖθι hic intelligendum sit. Probabilius Ascrae acta esset Hesiodi causa cum fratre; hoc enim plane testarentur versus 269. 396. 635.:

οἵην δὴ καὶ τήνδε δίκην πόλις ἐντὸς ἐέργει·
ὡς καὶ νῦν ἐπ' ἔμ' ἤλθες· ἐγὼ δέ τοι οὐκ ἐπιδώσω.
ὅς ποτε καὶ τῇδ' ἦλθε, πολὺν διὰ πόντον ἀνύσσας.

Num poeta alibi degerit? Goettlingius (v. 635.) Orchomeni eum non Ascrae ea scripsisse, si scripsit umquam, jubet, quod incertum est (conf. Vollbehr. l. l. p. 26.; Muetzellium de emendatione Theogoniae p. 372 seqq.). At de quonam loco τὸ τῇδ' (v. 635.) intelligendum sit? Proclus in versu 621. (apud Gaisford. T. II.) *Boeotiam,* in versu 633. cum Ephoro *Ascram* intelligendam esse putat. Tzetzes in Vita (l. l. p. 14.) *apud Ascram,* in versu 633. *Ascrae* patrem Hesiodi domicilium cepisse censet. Goettlingius in versu 635. *Boeotiam,* in praefatione (p. VII.) *Ascram* vult. Etiam Lennepius *Ascram* monet (in com. vv. 9. 10. Conf. etiam ibid. vv. 633. seqq.). Loci: οἳ τήνδε δίκην ἐθέλουσι δικάσσαι (v. 39.), et: ὦ βασιλεῖς ὑμεῖς δὲ καταφράζεσθε καὶ αὐτοὶ Τήνδε δίκην (vv. 248. seqq.) acerbam reddunt adversus reges ironiam.

Versus 40. 41.:

νήπιοι, οὐδὲ ἴσασιν, ὅσῳ πλέον ἥμισυ παντός,
οὐδ' ὅσον ἐν μαλάχῃ τε καὶ ἀσφοδέλῳ μέγ' ὄνειαρ,

proverbialiter dicuntur, et non solum vitae simplicitatem abesse, sed etiam contra leges vivere significant; itaque vitam fraudulentam ac mores illius temporis depravatos reprehendunt, ut etiam ex versibus 270—272:

νῦν δὴ ἐγὼ μήτ' αὐτὸς ἐν ἀνθρώποισι δίκαιος
εἴην, μήτ' ἐμὸς υἱός· ἐπεὶ κακὸν ἄνδρα δίκαιον
ἔμμεναι, εἰ μείζω γε δίκην ἀδικώτερος ἕξει,

plane declaratur. Quae Lehrsius (l. l. p. 224.) protulit: νήπιοι *non reges sunt; quippe ineptum est a regibus postulare, ut de malva et de asphodelo vivant,* sagacissime a Goettlingio (ad h. v.) objecta sunt: *at sic intelligas, illi judices stulti erant, quum putabant tibi bene, mihi male iniquo suo judicio consulere* cett. Recte quidem Lennepius (v. 40. in com.) animadvertit: *praestant modica immodicis, justa injustis. Ignorant hoc stulti isti reges, neque intelligunt se, dum donis inhiantes iisque corrupti jus pervertunt, ita Jovis iram ad perniciem suam sibi contrahere.* Cum quibus conferas versus 238—247:

οἷς δ' ὕβρις τε μέμηλε κακὴ καὶ σχέτλια ἔργα,
τοῖς δὲ δίκην Κρονίδης τεκμαίρεται εὐρύοπα Ζεύς.
πολλάκι καὶ ξύμπασα πόλις κακοῦ ἀνδρὸς ἀπηύρα,
ὅςτις ἀλιτραίνῃ καὶ ἀτάσχαλα μηχανάαται·
τοῖσιν δ' οὐρανόθεν μέγ' ἐπήγαγε πῆμα Κρονίων,

λιμὸν ὁμοῦ καὶ λοιμόν· ἀποφθινύθουσι δὲ λαοί·
οὐδὲ γυναῖκες τίκτουσιν· μινύθουσι δὲ οἶκοι,
Ζηνὸς φραδμοσύνῃσιν Ὀλυμπίου· ἄλλοτε δ' αὖτε
ἢ τῶν γε στρατὸν εὐρὺν ἀπώλεσεν, ἢ ὅ γε τεῖχος,
ἢ νέας ἐν πόντῳ Κρονίδης ἀποτίνυται αὐτῶν.

Memorat Plato versum 40. in duobus locis (in Republ. V. p. 466. C.): *εἰ οὕτως ὁ φύλαξ ἐπιχειρήσει εὐδαίμων γίγνεσθαι, ὥστε μηδὲ φύλαξ εἶναι μήδ' ἀρκέσαι αὐτῷ βίος οὕτω μέτριος καὶ βέβαιος, καὶ, ὡς ἡμεῖς φαμὲν, ἄριστος, ἀλλ' ἀνόητός τε καὶ μειρακιώδης δόξα, ἐμπεσοῦσα εὐδαιμονίας πέρι ὁρμήσει αὐτὸν διὰ δύναμιν ἐπὶ τὸ ἅπαντα ἐν τῇ πόλει οἰκειοῦσθαι, γνώσεται τὸν Ἡσίοδον, ὅτι τῷ ὄντι ἦν σοφὸς, λέγων πλέον εἶναί πως ἥμισυ παντός·* et (in Legg. III. p. 690. D.): *ἀνάσκεψαι πῶς τε καὶ τί παρὰ ταῦτα ἁμαρτόντες οἱ περὶ τὸ Ἄργος καὶ Μεσσήνην βασιλεῖς αὐτοὺς ἅμα καὶ τὴν τῶν Ἑλλήνων δύναμιν, οὖσαν θαυμαστὴν ἐν τῷ τότε χρόνῳ, διέφθειραν· ἆρ' οὐκ ἀγνοήσαντες τὸν Ἡσίοδον ὀρθότατα λέγοντα, ὡς τὸ ἥμισυ τοῦ παντὸς πολλάκις ἐστὶ πλέον, ὁπόταν ᾖ τὸ μὲν ὅλον λαμβάνειν ζημιῶδες, τὸ δ' ἥμισυ μέτριον, τότε τὸ μέτριον τοῦ ἀμέτρου πλέον ἡγησάμενον, ἄμεινον ὂν χείρονος;* Respiciunt autem eum etiam Polybius (VI. 59. 3.): *πρᾶγμα φρονίμου καὶ νουνεχοῦς ἀνδρὸς τὸ γνῶναι κατὰ τὸν Ἡσίοδον ὅσῳ πλέον ἥμισυ παντὸς·* et Plutarchus (de Aud. poett. p. 36. A.) (conf. Schol. Sophocl. ad Oed. Colon. v. 1211.; Tzetzem in Chil. VII. 232 seqq.; Suidam v. *ἡμίσεια.* et v. *τούτεστι·* Hemsterhusium ad Luciani Somn. c. 3.). Versum 41. citant Galenus (T. IV. p. 335.) et Plutarchus (in Sept. Sap. Conv. p. 157. E.). Versum 40 cum sequente citat praeter Stobaeum (X. 127.) A. Gellius (XVIII. 2.). Versum 41. respiciunt Theocritus (VII. 68.), Athenaeus (II. p. 58. D.), Scholiasta Aristophanis (in Plut. 253.), Suidas (vv. *ἀσφόδελος· θυμός· ὄνειαρ·*), Horatius (in carm. I. XXXI. 15 seq.) et Plinius (H. N. XXI. c. 17. s. 68. Vid. Lennep. in com. ad h. v.). Quae Goettlingius (v. 41.) docet: *malvarum foliis et asphodeli radicibus pauperes vescebantur*, nullum hic locum habere possunt, quia versus 40. 41. ad justam simplicemque vitam neque ad paupertatem vilitatemque pertinere videntur. Itaque versus, qui sequitur, 42:

κρύψαντες γὰρ ἔχουσι θεοὶ βίον ἀνθρώποισι,

cum antecedentibus optime cohaeret, qui laborandum esse significat, et ad quintam aetatem, qua poeta interfuit, spectat; nam dii jam olim faciliorem aetatis aureae victum hominibus abnegaverunt; neque offendit ad versum 47:

ἀλλὰ Ζεὺς ἔκρυψε, χολωσάμενος φρεσὶν ᾗσιν·

nam ille, facta digressione de injuria ipsi poetae illata, versus 30. 31.:

ὥρη γάρ τ' ὀλίγη πέλεται νεικέων τ' ἀγορέων τε,
ᾧ τινι μὴ βίος ἔνδον ἐπηετανὸς κατάκειται,

vindicat, hic eos, qui sequuntur, propter Promethei fraudem. Quod vero tum orationis simplicitas tum poetae propositum, ut fratri quam evidentissime demonstraret, malum esse otium, et assiduo labore vitam esse susten-

tandam, permittit. Quam ob rem, quae Goettlingius (v. 41.) dicit: *haec cohaerere cum sequentibus mihi non, persuadet Welckerus Tril. Aeschl. p. 75. cett.*, abjicienda sunt. Versum 42. respicit Scholiasta Aristophanis (in Plut. 90.) et Virgilius (in Georg. I. 121. Vid. Goettling. ad h. v.): *pater ipse colendi Haud facilem esse viam voluit.*

Vocabulum καλὸν versus 63:

παρθενικῆς καλὸν εἶδος ἐπήρατον· αὐτὰρ Ἀθήνη

multis recentiorum criticorum magnum scrupulum objecit, tanquam contra morem epicorum huc correptum; idcirco varias proposuerunt emendationes. Vocabulum παρθενικῆς, quod probatum Guyeto pro veterum Edd. lectione παρθενικαῖς, primus in contextum recepit Graevius, deinde Robins. Lanzius, aliique cum Proclo (apud Lennep. in var. lection. ad h. v.). Hermannus, qui offensus ad vocabulum καλὸν versum hunc habuerat mendosum in Orphicis (p. 817.), in Goettlingianae censura (in Opuscc. VI. I. p. 224.) corrigendum statuit: παρθενικῆς εἶδος πολυήρατον. Goettlingius (ad h. v.) corrigit: καλὸν παρθένου εἶδος. Profectum ab Hesiodo sic putat Lennepius (l. c.): ἀθανάταις δὲ θεαῖς εἰς ὦπα ἐΐσκειν παρθενικαῖς, καὶ Ϝεῖδος ἐπήρατον. Nos vero movit versus 71. (et in Theog. v. 572. Conf. etiam v. 514. ib.):

παρθένῳ αἰδοίῃ ἴκελον Κρονίδεω διὰ βουλάς,

ut versum 63. scriberemus sic:

παρθένῳ ἴκελον εἶδος, ἐπήρατον κ. τ. λ.

De genuinitate versus 76., cujus locus post versum 72. vix exstare potest, multum disputatur. Versum 76. cum v. 71. tanquam repetitos ex Theogonia expellendos censuit Ruhnkenius (in ep. crit. I. p. 82.), omisit Brunckius, uncinis inclusit Dindorfius (conf. etiam Heynium ad Il. Z. 419.). Immo Gaisfordius (in Theog. v. 570.), quem Hermannus (l. c. p. 224.) secutus est, versum 72. solum ejiciendum censuit. Goettlingium male habet de Venere silentium, cujus ante (v. 65.) injecta mentio erat. Sed ex versu 72.:

ζῶσε δὲ καὶ κόσμησε θεὰ γλαυκῶπις Ἀθήνη

Minervam pro sua parte ornatum, quem Jupiter Pandorae corpori fieri jussit, fecisse constat, quod ad v. 64.:

ἔργα διδασκῆσαι, πολυδαίδαλον ἱστὸν ὑφαίνειν

optime quadrat; quia ex eo, i. e. πολυδαίδαλον ἱστὸν ὑφαίνειν, omnis ornatus profectus est, neque diversum est ab eo munus quod versus 72. producit, ut Lennepius ait (in com. vv. 70—76: *sed sunt Palladis munera in v. 72. et 76. diversa ab injuncto ei munere v. 64.).* Nunc vero ex versu 76:

πάντα δέ οἱ χροῒ κόσμον ἐφήρμοσε Παλλὰς Ἀθήνη

diversum Palladis munus profertur, quod tamen cum antecedentibus aptissime congruit; in hoc enim κόσμον ἐφήρμοσε legitur, i. e. varium or-

natum, quem solennes ministrae Veneris, cujus hic vicariae sunt, Charites, Pitho et Horae, Pandorae condonarent, sic Pallas, induta muliere, in ordinem redegit, ut tum uni cuique eorum, tum mulieri quam optime adaptasset, i. e. Minerva, ut cum Vollbehrio (l. l. p. 38.) rectissime dicam, *extremam manum imposuit* (couf. etiam Lennep. l. c.). Bene igitur versus 64. 71. 72. et 76. leguntur, neque Goettlingius recte judicat pro *Παλλὰς Ἀθήνη* (v. 76.) scribendum esse *δῖ' Ἀφροδίτη*.

In ambiguitatem, quam contextus tenor producit, quamque ipse Proclus in explicando versu 79:

τεῦξε Διὸς βουλῇσι βαρυκτύπου· ἐν δ' ἄρα φωνὴν,

affert, offensi recentiorum multi varias conjecturas protulerunt; quod non sine jure factum esse videtur; nam sensum satis obscurum vocabulum *φωνὴ* reddit. Jam enim supra (v. 61.: *γαῖαν ὕδει φύρειν* [*Ἥφαιστον*], *ἐν δ' ἀνθρώπου θέμεν αὐδὴν*) dictum fuit, Vulcanum fictae ab se mulieri *ἀνθρώπου αὐδὴν* indidisse. Movit hoc Graevium, ut h. l. *ἐν δ' ἄρα φωνὴν Θῆκε θεῶν κῆρυξ* interpretaretur: *et nomen ei imposuit Deorum praeco* (apud Lennep. in com. ad h. v.). At infra (vv. 79. 80.) vocis donum Mercurio impositum est; itaque spurium versum 79. censuit Heynius (ad Il. Σ. 419.). Sed Proclus, cui recentioris aetatis viri docti (vid. Goettl. ad h. v.) assentiri solent, vocabulum *αὐδὴν* (v. 61.) sic interpretatur: *αὐδὴν δὲ νῦν οὐ τὴν φωνὴν λέγει, ἀλλὰ τὸν τόπον τῆς φωνῆς· ἤτοι τὰ φωνητήρια ὄργανα·* deinde vocabulum *φωνὴν* (v. 79.): *τοῦτό τινες περιττόν φασιν· ἤδη γὰρ ὁ Ἥφαιστος δέδωκεν αὐδὴν τῇ γυναικί· εἰ δὲ καὶ τοῦτο γνήσιον εἴη τοῦ Ἡσιόδου, τὸν Ἥφαιστον ἐροῦμεν ὑποστῆσαι τοῦ ἀλόγου, δι' οὗ δύναται συμφθέγγεσθαι τῷ λόγῳ, τὸν δὲ Ἑρμῆν αὐτὴν δοῦναι τὴν δύναμιν τὴν λογοειδῆ· λόγων γὰρ δεσπότης οὗτος ὁ Θεός.* Unde plane patet *αὐδὴν* et *φωνὴν* diversa esse dona, et illam, quae Vulcano opifici tribuitur, *vocem humanam*, hanc, quae ad Mercurium deorum praeconem affertur, *eloquium* significare. Verum tamen Mercurius, ut eloquentiae praeses *λόγιος* sive *λόγου προφήτης*, jam ea, quae Jupiter ei jusserat, fecit mulierique (v. 78.) *ψεύδεα θ' αἱμυλίους τε λόγους* indidit. Quin eos verborum significatus, quos illi interpretes amplectuntur, exemplis neutiquam probari posse recte affirmat Vollbehrius (l. l. p. 32.), qui ideo *versum 79. ejiciendum vel ad ipsius Rankii sententiam corrigendum esse censet sic:*

τεῦξε Διὸς βουλαῖς· ὀνόμηνε τήνδε γυναῖκα κ. τ. ἑ.

Verum nos contextus tenor ad diversam ducit conjecturam; nam Vulcanus mulierem, Jove jubente, finxit; Minerva cum Veneris vicariis eandem ornavit; Mercurius ipsi orationis calliditatem dedit. Num vero quisnam deorum animam ipsi inflavit? Nihil enim aliud hactenus vidimus, quam pupam, variis muneribus a diis donatam, et a Mercurio solo *Πανδώρην* (v. 81.) appellatam. At subito in versu 94.:

ἀλλὰ γυνὴ χείρεσσι πίθου μέγα πῶμ' ἀφελοῦσα,

pupa in mulierem mutata progreditur. Versum igitur 79. genuinum esse censemus, tamen in lectionem *φωνὴν* offendimus et scribendam esse

φανὸν proponemus, idque non sine probabilitate, quia Mercurius etiam ὑπνοδότης sive ὕπνου προστάτης fuit et ex arbitratu suo oculos dormientium caduceo tangens aperuit (conf. Jacobi Handwörterbuch der griech. und römisch. Mythologie p. 439.).

De versibus 93. et 99. multum laborant interpretes. *Versus 93:*

αἶψα γὰρ ἐν κακότητι βροτοὶ καταγηράσκουσι,

est Homericus (Od. *T.* 360.: αἶψα γὰρ ἐν κακότητι βροτοὶ καταγηράσκουσιν), *quem non sine veri specie invectum huc dicas ab aliquo, qui praecedente versu* γῆρας *legerat. Non agnoscit versum Origenes, nec quidquam ad eum Hesiodi Scholiastae annotarunt*, Lennepio judice (in var. lect. ad h. v.). Similia docet etiam Goettlingius (ad h. v.): *legitur in eodem codice, qui* γῆρας *habet, atque inde in alios quoque migravit. Ipsum versum non agnoscit Origenes, nec quidquam ad eum Hesiodi Scholiastae annotarunt.* Idcirco omisit eum Brunckius, uncinis incluserunt recentiorum alii. De versu 99:

αἰγιόχου βουλῇσι Διὸς νεφεληγερέταο,

haec Lennepius (in var. lect. ad h. v.) praebet: *abest a Plutarcho, Origene, Proclo, Lanzii Codd. Ambrosianis tribus, Vaticano uno. Sed longe major ejus Codicum pars meique omnes cum Stobaeo, Tzetze, Moschopulo versum agnoscunt. Inducendum censuit Heinsius* κατ' Ἀρίσταρχον *h. e. de more Aristarchi, quod adsentiens Heinsio non cepit Graevius.* Expulit versum Brunckius, uncinis incluserunt Gaisfordius, Dindorfius cum aliis (conf. Rank. l. l. p. 7.; Goettling. ad h. v.; Vollbehr. l. l. p. 29.). Lennepius (in com. ad h. v.) addit: *versum 99. quod ignorasse videntur Plutarchus, Origenes, Proclus, movere nos potest, ut serius invectum credamus. Ceterum in re versu tradita nihil equidem video, quod eum suspectum merito faciat. Ut Spes in Epimethei sive hominum potestate relinqueretur, omnino convenire potuit Jovis consilio, non tam infesti in humanum genus, ut non multis malis quaedam inmixta bona esse vellet, aut Spem iis invideret, in malis oblectamentum et solatium.* Nobis vero recte legendi esse videntur, si eos hoc modo trajicias:

v. 90: πρὶν μὲν γὰρ ζώεσκον ἐπὶ χθονὶ φῦλ' ἀνθρώπων
v. 91: νόσφιν ἄτερ τε κακῶν καὶ ἄτερ χαλεποῖο πόνοιο,
v. 92: νούσων τ' ἀργαλέων, αἵ τ' ἀνδράσι κῆρας ἔδωκαν·
v. 94: ἀλλὰ γυνὴ χείρεσσι πίθου μέγα πῶμ' ἀφελοῦσα,
v. 99: αἰγιόχου βουλῇσι Διὸς νεφεληγερέταο,
v. 95: ἐσκέδασ'· ἀνθρώποισι δ' ἐμήσατο κήδεα λυγρά·
v. 93: αἶψα γὰρ ἐν κακότητι βροτοὶ καταγηράσκουσι·
v. 96: μούνη δ' αὐτόθι Ἐλπὶς ἐν ἀῤῥήκτοισι δόμοισιν
v. 97: ἔνδον ἔμιμνε πίθου ὑπὸ χείλεσιν, οὐδὲ θύραζε
v. 98: ἐξέπτη· πρόσθε γὰρ ἐπέμβαλε πῶμα πίθοιο·
v. 100: ἄλλα δὲ μυρία λυγρὰ κατ' ἀνθρώπους ἀλάληται.

In versibus 106—201. quinque hominum genera feruntur, quorum ultimum, quo ipse poeta interfuit, omnium deterrimum. In hac enarranda fabula duo praesertim tanquam facta, sed longe a se disposita, poeta

affert, scilicet quam beatissima aetatis primae fuit conditio humana, et quomodo ipsa propter malam et ingenio ac moribus diversam conditionem sensim in hunc quintae miserrimum aetatis statum cecidit. Nam primi aevi hominibus, omni malo vacantibus, terra citra ipsorum laborem victum affatim praebebat, quum contra quinto generi labore maximo esset opus ad parandum victum eundemque miserrimum propter maximam ipsius injustitiam atque impietatem. Goettlingius (ad h. v.) hoc carmen absolutum esse et huc fortasse a rhapsodis propterea adjectum ait. Immo Lennepius (in com. ad h. v.) haec quoque consilio poetae fratrem admonenti de necessitate, quae nunc sit, subeundi ad parandum victum laboris, deque vitanda injustitia, quam toleraturus Jupiter non sit, respondere affirmat. Denique Vollbehrius (l. l. p. 33.) non interiore nexu cum fabula Promethea conjunxisse, sed traditam famam secutum esse poetam testatur. Nos autem satis interiorem hujus nexum cum praecedentibus percipimus. Nam fabula Promethea tanquam magis remota ab ea, qua poeta fraterque vixerunt, aetate docetur, quam ea, in qua de quinque generibus agitur, sive ex traditione sive ex alio modo prolata; quia haec ad praesens tempus planissime pertinens tanquam narratio rerum gestarum progreditur. Unde haec carminis pars aptissime inchoatur: *εἰ δ' ἐθέλεις, ἕτερόν τοι ἐγὼ λόγον ἐκκορυφώσω.* In explicando hoc loco: *ἕτερόν τοι λόγον ἐκκορυφώσω*, Lennepio (l. c.) assentimur, qui Anonymum Scholiastam, ad quem vero hic non provocavit, secutus esse videtur, *ἐκκορυφώσω* sic explicans: *a principio et velut a capite incipiens exponam* (*δύναται δὲ καὶ οὕτως· ἑτέρου σοι λόγου ἀπάρξομαι· ἐπεὶ ἡ κορυφὴ ἀρχή τις τοῦ σώματός ἐστιν.* Conf. etiam Welcker. Cycl. ep. p. 313.). Itaque fabulam, quam poeta nobis communicavit, prorsus integram totamque tradidit, neque summo ejus argumento tantummodo intentus in singulis non semper traditam rerum memoriam diligenter secutus est, ut lucet ex illustratione, quam Vollbehrius (l. l. p. 37.) reddit: *ἐγὼ λόγον ἐκκορυφώσω i. e. summa sequor fastigia rerum.* Quod autem etiam huc, ut apud omnia antiqua manu scripta, interpolatio locum obtinuisse potuerit, ipse Pausanias testatur (II. 26. Conf. etiam Muetzell. l. l. p. 161. seq.; Bod. l. l. p. 435.). Verum nunc quaeritur, utrum hanc totam de generibus narrationem ipse poeta finxerit, an ex traditione priorum Graeciae gentium nobis memoriam ipsius fecerit. Profecto satis habebimus, si ea ipsa respondebimus, quae Vollbehrius (l. l. p. 36.) rectissime illustravit: *atque equidem non possum facere, quin informatione peculiari hujus narrationis diligenter considerata profitear, neminem fore poetam, qui unice artis suae leges libidinemque ingenii secutus imaginem nobis efferat aetatum, quae neque rerum aequabili cursu procedant, neque ab eadem inscribendi ratione insigniantur, ut omnino poeta se rebus, non sibi res subjecisse videatur.* Sed quid ipse poeta in harum aetatum descriptione finxerit? Hoc facile responsu non est. Cur ex quinque generibus quatuor a metallis denominata sint? Nam quartum, quod hic numeratur genus, nomen non tulit a metallis. Ex quo hujus vel alius carminis loco liqueat alterum metallum altero vilius fuisse? Nam Scholiastae ad literam certe explicantes (*χρύσεον* enim est apud eos *λαμπρὸν, καθαρὸν, τίμιον* cett.) generum declinationem in pejus cum metallis ea compara-

verunt. Attamen neque continua est eorum declinatio, ut argentum auro, aes argento et ferrum aere cedat. Ceterum etiam omnes ii, qui postea eodem in argumento versati sunt, quamquam huic Hesiodi narrationi presse studuerunt, unus quisque tamen de suo ipso ingenio magis, ut posterioribus seriem antiquorum verborum tum in carmine tum in prosa traderent, quam de rerum fide solliciti, eandem explicationis rationem elaboraverunt. Ita quatuor a metallis denominata secundum Hesiodum memorat Ovidius (Metam. I. 89 seqq.), quartum autem Hesiodi heroicum genus omittit, interrumpi nolens declivem in pejus cursum (conf. etiam Arat. in Phaenom. 100—136.; Virgil. in Georg. I. 125 seqq.; Juvenal. XIII. 25 seqq.). Babrius in fabularum prooemio quinque memorat genera (apud Lennep. in com. vv. 109 seqq.). Recentiores interpretes indaganda veritatis vestigia prementes vario modo de his quinque generibus judicant; verum quid eorum probari quidque refelli liceat, nescimus, neque possumus, quin taceamus; quae enim dicuntur magis fabulosa sunt, quam ea, quae illustrantur (conf. Lehrs. l. l. p. 230.; Nitsch. Heroolog. p. 467.; Goettling. v. 109 seq.; Lennep. l. c.; Vollbehr. l. l. p. 37 seq.). In universum autem interpretandi rationem sequens ex quinque duo genera videas, quae dii, Ὀλύμπια δώματ' ἔχοντες, procreaverunt; quorum alterum aureum sub Saturno vixisse describitur, alterum argenteum, Saturno ab Jove Olympo dejecto, ab ipso Jove concussum penitus deletum est. Denique reliqua tria sub Jove iisque diis vixerunt, qui una cum Jove sedes Olympias tenere dicebantur. Neque negare possis totam hanc narrationem sine ulla relatione ad vetustissimam Graeciae historiam esse dictam. At certa vel probabilia hac de re aliis omittimus, neque iis, qui hucusque multa disputaverunt, adstipulamur. Versum 106. respiciunt Zonaras (p. 670.), Etymol. M. (p. 322. 28.) et Eustathius (ad Il. p. 1850. 28. apud Lennep. l. c.). Jam antequam ad illustrationem de genuinitate versus 108. ejusdemque recta interpretatione veniamus, paululum adhuc de ipsa generum fabula disseramus necesse est. Ex versibus 150. 151:

τοῖς δ' ἦν χάλκεα μὲν τεύχεα, χάλκεοι δέ τέ οἶκοι,
χαλκῷ δ' εἰργάζοντο· μέλας δ' οὐκ ἔσκε σίδηρος,

colligeres poetam aureo generi nomen certe inde factum esse censuisse, quod apud eos omnia essent ex aere arma, aedes, instrumenta. *Quid, si χρύσεον γένος similiter dictum censuit ex eo, quod iis omnia essent aurea, ut hoc quoque vita ipsorum simile habuerit Deorum vitae: secundum autem genus argenteum dictum, quod pro minore dignitate ornatus iis esset ex hoc minoris pretii metallo? Facilius quidem id, ni fallor, admittas, quam quod vult Sacerdos apud Lucianum (Saturn. c. 8. T. III. p. 391.), aurei generis homines ὁλοχρύσους et χρυσηλάτους tibi fingas, aut cum Goettlingio data hominibus a metallis nomina censeas, quod facti homines e terra, ad quam metalla pertinent* (apud Lennep. in com. vv. 109 seqq.). Itaque si locos legas: χρυσέην Ἀφροδίτην (v. 65.), πολυχρύσου Ἀφροδίτης (v. 521.), πότνιαν Ἥρην Ἀργείην, χρυσέοισι πεδίλοις ἐμβεβαυῖαν (vv. 11. 12. in Theog.), certe non cum Apollonio (in Lex.) explicabis: χρυσέη Ἀφροδίτη est καλὴ ἀπὸ τῆς παρ' ἡμῖν θαυμαζομένης ὕλης. Rectissime

igitur Lennepius (l. c.) observat: haec an antiquissima notio fuerit, ut apud Theocritum dicitur (XV. 101.): χρυσῷ παίσδοισ' Ἀφροδίτα (conf. Heynium ad Il. Γ. 64. χρυσέης Ἀφροδίτης'), incertum est (conf. in Scut. v. 188: ἀργύρεοι, χρυσέας ἐλάτας ἐν χερσὶν ἔχοντες. Thucyd. I. c. 6. ἀπὸ τοῦ σιδηροφορεῖν).

Versum 108:

ὡς ὁμόθεν γεγάασι θεοὶ θνητοί τ' ἄνθρωποι,

Goettlingius (ad h. v.) cum antecedentibus conjungit: *animo reconde mea ad virtutem monita, quia cogniti hominibus sunt Dii, ita ut eos hujus originis suae memores virtutem colere oporteat*, Proclum, ut videtur, secutus, ad quem hic non provocavit. Rankius (l. l. p. 12.) hunc versum *omnino non ad proxime sequentia, sed ad totam historiam de hominum generibus pertinere* vult, *quod ipsum Proclus intellexit, nostratium autem plurimi prorsus neglexerunt.* Equidem nescio, an in Procli scholiis ea sententia intellecta sit. Etenim haec praebet Proclus (ad h. v.): τὸ ἐκκορυφῶσαι δηλοῖ τὸ ἀποκαλύψαι καὶ εἰς ἄκραν γνῶσιν ἡμᾶς ἀναπέμψαι τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως. Δηλοῖ δὲ τὸ ἐπαγόμενον. Τὸ γάρ,

ὡς ὁμόθεν γεγάασι θεοὶ θνητοί τ' ἄνθρωποι,

προτρεπτικῶς μὲν εἴρηται εἰς ἀρετήν. Εἰ γὰρ ἐκ τῶν αὐτῶν ἐσμὲν τοῖς θεοῖς, οὐχ ἡ φύσις ἡμῶν αἰτία τοῦ κακοῦ, ἀλλ' ἡ περὶ τὴν προσήκουσαν ἐπιμέλειαν καὶ τελειότητα ῥαθυμία. Πῶς δὲ ἐκ τῶν αὐτῶν ἐσμὲν οἱ ἄνθρωποι τοῖς θεοῖς, ποιήσει δῆλον εἰπών, ὅτι καὶ ἡμεῖς ποτε χρονίαν ἐζῶμεν ζωήν, καὶ ἦμεν καθαροὶ κακῶν, ὡς οἱ θεοί, διὰ δὲ τὴν ὕφεσιν προήλθομεν ἀπὸ τῶν θεοειδῶν ἀνθρώπων εἰς τοὺς νῦν ὄντας καὶ ἐμπαθῶς ζῶντας. At contra Tzetzes Moschopulusque ac secundum hos recentiores tum interpretes tum editores cum sequentibus eum construunt. Nos vero hunc versum, in quo ὡς non Hesiodi antiquitatem redolere videtur, à librario quodam intrusum esse censemus, et quidem in principio orationis inditum, ut aetatis aureae vita beatissima summatim indicaretur; res enim ipsa postulat, ut fabula ex versu 109. inchoetur. Sed ὁμόθεν (v. 108.), quod Scholiastae probabilius ὁμοῦ ἐκ τοῦ αὐτοῦ γένους, ἐκ τῆς αὐτῆς αἰτίας καὶ ὕλης, ἀπὸ τῆς αὐτῆς ῥίζης exposuerant, recentiores fere per unum *simul*, vel *eodem tempore* interpretati sunt (apud Lennep. in com. v. 108.). At vero ὁμόθεν ex contextus tenore hanc significationem habere non potest, obloquentibus versibus 109. 110:

χρύσεον μὲν πρώτιστα γένος μερόπων ἀνθρώπων
ἀθάνατοι ποίησαν, Ὀλύμπια δώματ' ἔχοντες.

Quibus addas locum: σοῖς τε κασιγνήτοις, οἵ τοι ὁμόθεν γεγάασιν, jam ab Lanzio (ex Hom. H. in Ven. 135.) citatum, et eos a Goettlingio (ad h. v.) apud Sophoclem (El. 153.) et Euripidem (Iph. A. 503.). Qua de caussa plerique interpretes hunc versum emendare tentaverunt; et quidem Heynius (ad Pindar. Nem. VI. 1.) οὐχ ὁμόθεν corrigendum censuit; Lehrsius (l. l. p. 230.) autem aliunde migrasse hunc versum putavit et ἐξ ὁμόθεν scripsit; denique Hermannus primam suam sententiam prorsus

retractavit et post versum 160. eum relegavit (l. c. p. 225: *ut communem habent* [ἡμίθεοι] *cum Diis atque hominibus originem, ita Dii sunt et mortales homines). Equidem nescio*, ait Lennepius (l. c.), *an nihil hic facile sollicitandum sit. Potuerunt enim, me judice, dici Dii atque homines exstitisse* ὁμόθεν, *quamvis formati sunt ab Diis homines, cum haud dubie* Κρόνος *ceterique hujus ordinis Dii ad formandum illos usi sint iis, quibus ipsi acceptam originem ferebant, recensitis ab Hesiodo in Theogonia primis naturae elementis Coelo, Terra atque inde natis. Poeta, qua ratione in formandis hominibus usos esse Deos crediderit, haud obscure declaravit in Pandorae mytho.* Sed nobis res postulare videtur, ut ὁμόθεν idem sit ac *communis* (ἐκ τοῦ σύνεγγυς), i. e. propter summam virtutem, quam primaevi homines exercebant, deorum consuetudine ac familiaritate digni habiti sunt (conf. Dicaearchum apud Porphyrium de Abst. IV. 2. τοὺς παλαιοὺς καὶ ἐγγὺς θεῶν γεγονότας). Quod etiam locus χρύσεον γένος confirmare potest; talis enim vivendi ratio (vid. supra locum χρυσέῃ Ἀφροδίτῃ) apud Deos habita fuerit. His vero adde versum 112:

ὥστε θεοὶ δ' ἔζωον ἀκηδέα θυμὸν ἔχοντες,

et vv. 121—123:

αὐτὰρ ἐπειδὴ τοῦτο γένος κατὰ γαῖα κάλυψεν,
τοὶ μὲν δαίμονές εἰσι Διὸς μεγάλου διὰ βουλάς,
ἐσθλοὶ, ἐπιχθόνιοι, φύλακες θνητῶν ἀνθρώπων.

Quod si recte disputatum esset, haec prior hominum gens diis antiquis respondere videretur, quam ab ipsis filiis cognatisque quasi cultu celebratam esse dixeris. Unde Homerus (in Il. *H.* 99.) dixit: πάντες ὕδωρ καὶ γαῖα γένοισθε· et Pindarus (Nem. VI. 1.): ἓν ἀνδρῶν, ἓν θεῶν γένος· ἐκ μιᾶς δὲ πνέομεν ματρὸς ἀμφότεροι.

Versum 111:

οἱ μὲν ἐπὶ Κρόνου ἦσαν, ὅτ' οὐρανῷ ἐμβασίλευεν

uncinis inclusit Goettlingius, ut non ab Hesiodo profectum. „Nusquam enim, inquit, Saturnus in Diis Olympicis habetur." Quibus Lennepius (in com. ad h. v.) addit: *scilicet haberi non potuit, ex quo dejectus ab Jove est Olympo.* Agnoscit versum Diodorus Siculus (V. 66.), ubi maxime ob Croni mentionem totum locum (vv. 111—121.) citat. Agnovit eum haud dubie etiam Lucianus (Saturn. c. 8. T. III. p. 391.) et Maximus Tyrius (XXXVI. c. 1.), memor quoque fuit Eustathius (ad Od. p. 1786. 4 seqq. Conf. et Schol. Ven. ad Il. *A.* 222.). Latini quidem omnes constanter aureum seculum sub Saturno et antiquius Jove sibi informarunt, non sane illi omnes, quod vult Goettlingius, auctorem Dicaearchum secuti, teste Lennepio (l. c.). Virgilius certe (G. I. 125. seqq.) manifesto secutus est Hesiodum.

Jupiter tertium genus, quod aereum vocatur, ἐκ μελιᾶν ποιῆσαι (v. 145.) fertur; at poeta nihil certi tradit, sicut de Pandorae mytho fecit, scilicet quemadmodum id fecerit Jupiter; quam ob rem hic locus haud facile interpretatu est. Quamquam ab Hesiodo voces ἐκ μελιᾶν ποιῆσαι

profectas esse putares, tibi tamen negare non liceret, eum traditionem veterem secutum esse. Similia enim sunt Homeri (in Od. *T.* 163.) verba: *οὐ γὰρ ἀπὸ δρυός ἐσσι παλαιφάτου, οὐδ' ἀπὸ πέτρης*, et Aristophanis (in Acharn. vv. 180. 181.):

Ἀχαρνικοί, στιπτοὶ γέροντες, πρίνινοι,
ἀτεράμονες, Μαραθωνομάχαι, σφενδάμνινοι.

Similia tradunt haud dubie secundum Graecos etiam Virgilius de Evandri temporibus (in Aen. VIII. 315 seq.): *haec nemora indigenae Fauni, Nymphaeque tenebant, Gensque virûm truncis et duro robore nata;* et Statius de primaevis Arcadibus (in Theb. IV. 276. seq.): *nemorum vos stirpe rigenti Fama satos*, et (vv. 279. seqq.): *quercus laurique ferebant Cruda puerperia ac populos umbrosa creavit Fraxinus et foeta viridis puer excidit orno.* Si ea, quae exstant, illustrare velis, rectissime Procli sententiam, quem de Meliis Nymphis cogitantem Lennepius perperam intellexit: *ἐκ μελιῶν τῶν δένδρων, οὐχὶ ἐκ Μελιῶν Νυμφῶν. . . . ἄτοπον γὰρ τοὺς ἐκ τοῦ θείου γένους ὄντας θηριώδεις φῦναι· ἀλλ' ὡς ἐκ δένδρων στερεῶν καὶ δυσσήπτων γεγονότας.* Similia docet etiam Tzetzes: *ἐκ μελιῶν δενδρῶν φασιν αὐτούς, ἤγουν στερεούς.* Recentiorum quosdam male habuit non sine jure, quod poetae *χάλκειον γένος* factum dicitur *ἐκ μελιᾶν*, quae pugnare secum invicem censuerunt. Itaque Guyetus scribendum censuit: *ἔκ τε μελὲς δεινόν τε* pro *ἐκμελές τε δεινόν τε*, ad Hesychii *ἐκμελής· ἀνάρμοστος* provocans. Alia conjectura est: *ἐκ μελέων δεινόν τε καὶ ὄβριμον manibus terribile ac vehemens.* Alii construunt ita: *ἐκ μελιᾶν δεινόν τε καὶ ὄβριμον*, quod sit *hastis terribile ac validum.* At temere hi pro certo habuerunt, *χάλκειον* hoc genus poetam dixisse a materia, unde formatum erat, quamvis ita censuisse videatur etiam Apollonius Rhodius (IV. 1641.): *χαλκείης μελιηγενέων ἀνθρώπων Ῥίζης λοιπὸν ἐόντα μετ' ἀνδράσιν ἡμιθέοισι* (apud Lennep. in com. ad h. v.). Lennepius (l. c.) vulgatam lectionem et juncturam *ἐκ μελιᾶν ποιῆσαι* Hesiodo non abjudicat. Nos vero movit vocabulum *ὕβριες* (v. 146. Conf. etiam locum *σκολιῶς ὀνοτάζων* v. 258.), ut versum 145. scribendum esse sic censeamus:

σκολιὸν καὶ δεινὸν ἠδ' ὄμβριμον· οἷσιν Ἄρηος.

Loco *ἐκ μελιᾶν ποιῆσαι* alludit Eustathius (in Il. p. 1262. 11. et p. 1360. 22. in Od. p. 1859. 13.).

Locus: *οὐδέ τι σῖτον ἤσθιον* (vv. 146. 147.) genus aereum rem rusticam haud coluisse designat. Unde lectio *ἄπλαστοι* (v. 148.) praeferenda est alteri *ἄπλητοι*, quam Goettlingius, et *ἄπλατοι*, quam nuperrime Vollbehrius cum aliis retinuerunt; illa enim incompositum et immundum vitae rudis, haec idem significat, quod *ἄαπτοι* in eodem versu. Praeterea multis in codicibus *ἄπλαστοι* legitur, duce Lennepio (in var. lect. ad h. v. et in Theog. v. 151. Conf. Wakefield Silv. Crit. II. p. 150.).

Cur celebratissimum genus quartum, *ἀνδρῶν ἡρώων θεῖον γένος* (v. 159.) vocatum, *νώνυμον*, i. e. a nullo metallo denominatum fuerit, haud est facile, ut conjicias; fortasse quia divi fuerint nati. His addas, quae

apud Eustathium (in Il. *Α*. p. 17. 13.) leguntur: *Ἥρωας δὲ ἡ παλαιὰ σοφία γένος τι θεῖον εἶναι δοξάζει μέσων θεῶν καὶ ἀνθρώπων. Καὶ τὸ μὲν θεῖον φῦλον εἰς θεοὺς διαιρεῖ καὶ δαίμονας, ὧν καὶ διαφορὰν λέγει, ὁποία φανήσεται ἀλλαχοῦ. Τοὺς δὲ ἀνθρώπους εἴς τε ἥρωας καὶ εἰς αὐτὸ τοῦτο ἀνθρώπους. Καὶ ὑποβεβληκέναι μέν φησι θεοῖς δαίμονας, ἀνθρώπους δὲ ἥρωσιν, οὓς καὶ ἐκ θείου καὶ ἀνθρωπίνου σώματος φῦναι λέγουσι. Διὸ καὶ Ἡσίοδος ἡμιθέους αὐτοὺς λέγει.* Plutarchus (de Def. Orac. p. 415. D.) memorat Hesiodum *τῶν λογικῶν* quatuor exposuisse genera, *θεούς, εἶτα δαίμονας πολλοὺς κἀγαθούς, εἶτα ἥρωας, εἶτα ἀνθρώπους, τῶν ἡμιθέων εἰς ἥρωας ἀποκριθέντων.* Unde plane patet *ἡμιθέους* et *ἥρωας* idem esse; neque Lennepius (in com. ad h. v.) recte judicat: *quorum postrema (τῶν ἡμιθέων εἰς ἥρωας ἀποκριθέντων) eo spectant, quod ἡμιθέων appellatio ei non aeque cadere in omnes heroes videbatur.* Sed quid ipse Lennepius per: *tertium genus λογικὸν non habuit, itaque praetermisit*, docere vult, nescimus. Servius (ad Aen. VIII. 314.) memorat: *sciendum secundum Hesiodi Theogoniam primo Deos genitos, inde hemitheos, post heroas, inde homines innocentes, ultimo sceleratos* (vid. etiam Goettling. ad h. v.).

Versus 169:

τηλοῦ ἀπ' ἀθανάτων, τοῖσιν Κρόνος ἐμβασίλευε,

spurius esse videtur. Nam etiam Cronum cum ceteris Titanibus, ut in Theogonia (vv. 713 — 721. 729 seq. 813. seq. 850 seq.) habetur, a coelo relegari et in imo Tartaro retineri oportet. Primus Graevius recepit eum in textum; Gaisfordius omisit eum. Proclus de hoc versu cum sequente sic docet: *τοῦτον καὶ τὸν ἑξῆς ὡς φληναφώδεις ἐξοικίζουσι τῶν Ἡσιόδου, τά τε φαυλίζοντες καὶ τὸ ἐνθουσιαστικὸν τῆς εἰσβολῆς μετ' αὐτοὺς στίχων ἀφαιρεῖν εἰπόντες.* Huc accedit, quod in plerisque codicibus non legitur, teste Lennepio (in var. lect. ad h. v. Conf. etiam Goettling. ad h. v.).

Versus 179:

ἀλλ' ἔμπης καὶ τοῖσι μεμίξεται ἐσθλὰ κακοῖσιν

suppositius esse videtur. Etenim non solum cum antecedentibus non congruit, sed etiam hic irridenti vellicantique, ut ita dicam, modo insertus est ab aliquo, qui poetam a desperatione cavere et ad consolationem tecte impellere voluerit ut ex futuro *μεμίξεται* patet, i. e. non omnino perdita est haec aetas. Neque quidem Proclo cui calculum suum Hermannus quoque dedit (in cens. Lehrs. p. 132.) concedas, qui non omnia bona huic aetati Jovem ademisse putat, sed quaedam etiam reliquisse (*τῷ δὲ εἰπεῖν „ἀλλ' ἔμπης καὶ τοῖσι μεμίξεται ἐσθλὰ κακοῖσιν" ἐνδείκνυται μὴ πάντῃ κεκρατηκέναι τὴν μοχθηρίαν τῶν ἀνθρώπων· εἶναι γὰρ ἔτι μετρίαν αἰδῶ κατ' αὐτὸν τῶν ἀδικημάτων καὶ τῶν ἀδικούντων. Τοῦτο δὲ εἶπεν, ἵνα προτρέψῃ τὸν Πέρσην μὴ παντελῶς ἀπερυθριάσαντα γενέσθαι περὶ αὐτὸν ἐσχάτως πονηρόν*). Sed si poeta statim ab initio *ἢ πρόσθε θανεῖν ἢ ἔπειτα γενέσθαι* (v. 175.) dixisset, nusquam versum 179. scripsisset. Nam a versu 174. usque ad versum 201. ferreum genus omnium deterrimum depingitur; et quidem ipsius generis indoles accuratius definitur, quam eorum, quae praedicta sunt,

quia poeta contemporaneus est simulque injuria affectus; quam ob rem etiam acerbitatem malevolentiamque suam in ipsum genus satis liquide ejiciens prodit. At nimis miram Vollbehrii (l. l. 43 seq.) opinionem audi: *E versibus 174—201* (in s. ed. 176—203.) *ego duo describi genera existimo, quorum prius his exponitur versibus extremis:*

ἀλλ' ἔμπης καὶ τοῖσι μεμίξεται ἐσθλὰ κακοῖσιν.
Ζεὺς δ' ὀλέσει καὶ τοῦτο γένος μερόπων ἀνθρώπων,
εὖτ' ἂν γεινόμενοι πολιοκρόταφοι τελέθωσιν.

Deinde sequitur novi generis omnium pessimi descriptio, ubi Nemesis et Pudor, ultima numina, terram prorsus relinquent. Hermannus, qui olim (in Cens. Goettling. p. 227.) idem probabat, tamen post versus, quos modo adscribimus, nonnulla excidisse putavit; mihi lacunam statuere vix opus esse videtur. At quisnam negare audebit locum ἢ ἔπειτα γενέσθαι Vollbehrii judicio prorsus dissentire? Nam satis ex eo intelligitur non pejorem aetatem exspectare Hesiodum post hanc, qua ipse vivit, sed meliorem. Itaque Proclus, qui de sexta aetate loquitur, vehementer hac in re erravit. Neque Goettlingio assentimur qui et versus 180. 181. Lehrsium (l. l. p. 236.) secutus postea additos esse dicit ab eo, qui quasi corrigere Hesiodum voluerit. Nam ambo hi versus optime cum praecedentibus cohaerent, ut distincte Rankius (l. l. p. 37.) disputavit. Lennepius (in com. vv. 179 seqq.) haec praebet: *praesagiebat Hesiodus fore, ut, quemadmodum argenteo generi causa interitus fuissent ipsorum ἀφραδίαι, ὕβρις, pietatis neglectus, aereo morum immanitas, ita ob similia ferrei generis vitia, quae jam sua aetate gliscere et in dies crescere videbat, Jupiter denique illud quoque genus, post evectam ad summum ejus pravitatem, prorsus de medio sublaturus esset. Itaque poëta, quales futuri essent proxime ante illum exitum quinti generis mores vividissimis coloribus describit vv. 182—201., id agens haud dubie, ut proposito etiam horum scelerum exitu, Jove illa vindicante, sui temporis homines ab illis deterreat.*

Versum 181:

εὖτ' ἂν γεινόμενοι πολιοκρόταφοι τελέθωσι,

Moschopulus sic exposuit: *ὁπηνίκα ἂν οἱ γινόμενοι πολιοκρόταφοι ὦσιν, ἅμα τῷ γενέσθαι δηλονότι· ὑπερβολικῶς τοῦτο εἴρηται, ἀντὶ τοῦ· ὅταν ὀλιγοχρόνιοι ὦσι καὶ τάχιστα γηρῶντες.* At vox πολιοκρόταφοι non indicat, ut opinamur, vitae brevitatem propter canitiem senectutis, quam cito mors sequatur, sed improbitatem, qua vivitur, ut homines aetate provecti. Igitur πολιοκρόταφοι improbos pueros significat, quod etiam ex versibus 182. 185:

οὐδὲ πατὴρ παίδεσσιν ὁμοίϊος, οὐδέ τι παῖδες,
αἶψα δὲ γηράσκοντας ἀτιμήσουσι τοκῆας,

apparet, quibus versus 235. est opponendus:

τίκτουσιν δὲ γυναῖκες ἐοικότα τέκνα γονεῦσιν.

Nam vocabulum πολιός, excepta frequente significatione de canis capillis, etiam ad puerilem aetatem (conf. v. 492. ἔαρ γινόμενον πολιόν)

refertur legiturque apud Diodorum Siculum (V. 32.): *τὰ δὲ παιδία παρ' αὐτοῖς ἐκ γενετῆς ὑπάρχει πολιὰ κατὰ τὸ πλεῖστον* (conf. etiam Eustath. ad Il. p. 167. 23. apud Goettling. ad h. v.). Nec non fabula de Graeis (in Theog. v. 271. *Γραίας ἐκ γενετῆς πολιάς*) rem fieri posse ostendit. Quae si recte se habuerint, versus 181 cum sequente cohaeret. Sententia igitur, quae ex illo sequitur, haec est: *quintum genus ita corruptum erat, ut pueri statim a nativitate cani fuerint, i. e. improbi. Γεινόμενοι* hyperbolice hic dicitur, ut recte Moschopulus observat. Itaque conjecturae Hermanni, qui primum (in Opuscc. T. VI. p. 169.) *ubi consenuerint* interpretatus est, deinde ipse se ab hac sententia revocavit et pro *τελέθωσι* scribi jussit *τελῶνται* (apud Goettling. l. c.), admitti nequeunt; neque illae Lehrsii (l. l. p. 236.), qui *delebit nunquam* explicuit (conf. Rank. l. l. p. 37.) et Lennepii (in com. ad h. v.), qui hanc rem sic exposuit: *certe additum γεινόμενοι declarat canos statim a nativitate et sic brevis aevi futuros, cum canities senectutis sit judicium, senectutem autem cito mors sequatur.* At nimis excogitatam arbitramur Goettlingii hanc sententiam (l. c.): *quum verba Diodori sic considero, paene adducor, ut famam antiqui oraculi agnoscam, quo ingentem mutationem rerum factum iri dicebatur, quum gens canis capillis irrueret, qualis fuit natio Gallorum, quae et Romanos et Graecos ingenti terrore perculit et paene delevit. Atque tale oraculum pro re sua immutatum commemoravit Callimachus Del. 171. ex ore Apollinis ipsius: Καί νύ ποτε ξυνός τις ἐλεύσεται ἄμμιν ἄεθλος Ὕστατον ὁππότ' ἂν οἱ μὲν ἐφ' Ἑλλήνεσσι μάχαιραν Βαρβαρικὴν καὶ Κελτὸν ἀναστήσαντες Ἄρηα Ὀψίγονοι Τιτῆνες ἀφ' ἑσπέρου ἐσχατόωντος Ῥώσονται, νιφάδεσσιν ἐοικότες. Hoc autem si verum est, non adeo antiqua videbitur haec carminis pars, vel saltem v. 180. 181., quibus commode hic carebimus.* Quae si recte disputata fuerint, versus 180—182. sic scribendi sunt:

Ζεὺς δ' ὀλέσει καὶ τοῦτο γένος μερόπων ἀνθρώπων.
Εὖτ' ἂρ γεινόμενοι πολιοκρόταφοι τελέθουσιν,
οὐδὲ πατὴρ παίδεσσιν ὁμοῖιος, οὐδέ τι παῖδες.

Versum 181. citat, ut Hesiodeum, Aristides (T. I. p. 369. Dind.).

Fabula, quae in versibus 202—211 de accipitre et luscinia continetur, sagacissime dicta est post illam Prometheam; haec enim fratris injustitiam avaritiamque aptissime depingit, illa tecte reges sive judices (v. 38.) per *ἴρηξ* significatos memorat litemque revocat, ipso poeta per *ἀηδόνα* occulte intellecto (conf. Anonymum Scholiastam: *καλῶς γὰρ ἑαυτὸν ἀηδόνι ἀπείκασε· μουσικὸν γὰρ τὸ ὄρνεον· καὶ τοὺς κριτὰς ἱέρακας ὡς ἁρπακτούς·* et: *πρόςκειται δὲ καὶ τὸ ἀοιδὸν (περ) ἐοῦσαν* (v. 208.) *διὰ τὸ ἄγεσθαι τὸν Ἡσίοδον, ἐνδεικνύμενον τὸ ἱερὸν τῶν Μουσῶν ἀναγκάζεσθαι τοῖς βασιλεῦσιν ἀδικοῦσιν εἴκειν*). Nam regibus juxta leges rem privatam custodientibus, neque donis acceptis, Persae otiose vivere minime liceret, neque operam rebus navare alienis. De voce *ἀηδόνα* multum disputatur, si Lennepium (in com. ad h. v.) audias: *at neque certum est ab Hesiodo per ἀηδόνα nobis vulgo notam lusciniam significari, cum recentiores Ornithologi ab hac, dicta ipsis sylvia luscinia, distinguant sylviam philomelam*

seu lusciniam maculatam, in cujus flavescenti pectore, praesertim si annosae sunt aves, hic illic fuscae apparent maculae ac striae, quales etiam in albo collo observantur; quam ob rem ad hanc aviculam epitheton ποικιλόδειρος optime conveniat. Mitscherlichius (apud Goettling. ad v. 203.) haec praebet: *Collum lusciniae diverso anni tempore diversum est, modo rubidum colorem subtus admodum intendit, modo remittit.* Ad hoc judicium Clementem Alexandrinum (Paedag. II. 10.) provocamus: ὡσαύτως καὶ ἡ ἀηδὼν καὶ τὸ χρῶμα καὶ τὴν ᾠδὴν συμμεταβάλλει ταῖς τροπαῖς· quibus similia exhibent Homerus (Od. *T.* 517.), Aristoteles (H. A. IX. 39.), Aelianus (H. A. XII. 28.), Etymologus M. (p. 813. 8.) et Plinius (X. 43.). Neque ad literam hic ποικιλόδειρον variis lusciniae maculis, quae circa ipsius collum dispersae sunt, intelligere possis, sed de proprio ipsius attributo propter variam vocem, de qua multus rumor etiam hodierno die apud Graecos perfertur. Igitur quamquam lectio ποικιλόδειρος in plerisque codicibus, Lennepio jubente (in var. lect. ad h. v.) et ab omnibus Scholiastis legitur, Ruhnkenii tamen emendatio (in Epist. Crit. I. p. 82.) ποικιλόγηρυν, quam Gaisfordius (ad h. v.) et Coraes (in Aesopi fabul. p. 5.) approbant, non esse videtur probanda. De junctura hujus carminis partis cum praecedentibus si Vollbehrium (l. l. p. 49 seq.) interrogares, haec ex eo audires verba, quae sunt: *quodsi autem Lehrsius (l. l. p. 238.) hanc fabulam certe ejusdem auctoris, qui aliis locis acerbissime cum regibus agat, esse concedit, huic poetae totum carmen acceptum deberi etiam ideo videtur immerito negare, quod carmen, nisi ex regum fratrisque facinore ac memoria profectum esset, ex nulla propria poetae conditione ortum argumenti fuisset pure puteque didactici. Quod mihi nequaquam ab poeta aetatis Hesiodeae admitti potuisse videtur, praesertim quum ne posterioris quidem aetatis poetae, Theognidem dico, Horatium, Virgilium aliosque (conf. Welck. ad Theogn. praef. p. LXXX seq.) sine hominum, quos docerent, mentione tantummodo in enarrandis rebus versarentur.* At non sine jure observandum esse liceret, quod non omnia aut plura saltem scripta ex illis aetatibus conservata sunt. Ideo quae ab ipso sequuntur his disertis verbis: *quae fabula nisi huic loco composita ad ipsum Hesiodum spectaret poetam ex usu consueto columba, ni fallor, lusciniae loco adhibita esset (conf. Horat. Od. I. 37. 17 seq. Orell. Soph. Aj. 140. 168 seq. Schol. ad h. Hesiodi l. Aeschyl. Prometh. 857.)*, supervacanea fuerint.

De versu 202:

νῦν δ' αἶνον βασιλεῦσ' ἐρέω φρονέουσι καὶ αὐτοῖς,

sic recte Lennepius (in com. ad h. v.) exposuit: *Goettlingio additus postea videtur, quod judicium ratione destitutum esse merito censuit Hermannus.* Loci: βασιλεῦσ' ἐρέω φρονέουσι καὶ αὐτοῖς (v. 202.), et: οἳ τήνδε δίκην ἐθέλουσι δικάσσαι (v. 38.), et: ὦ βασιλεῖς, ὑμεῖς δὲ καταφράζεσθε καὶ αὐτοὶ Τήνδε δίκην (vv. 48. 49.), acerbam exprimunt contra judices ironiam propter fictam litem. Versum 202 cum sequente citat Ammonius (in v. αἶνος) et Eustathius (in Od. p. 1766. 57. Vide etiam Il. p. 853. 2. p. 1158. 35. Od. p. 1425. 49. Schol. Aristoph. in Vesp. 1251.).

Versus 210. 211:

> ἄφρων δ', ὅς κ' ἐθέλῃ πρὸς κρείσσονας ἀντιφερίζειν·
> νίκης τε στέρεται, πρός τ' αἴσχεσιν ἄλγεα πάσχει,

obelo notavit Aristarchus, tanquam ἐπιμύθιον λογοποιῶν, ut Proclus confitetur, quod brutis non conveniant sententiae (τούτων δὲ τῶν στίχων ὀβελίζει ὁ Ἀρίσταρχος τοὺς τελευταίους, ὡς ἀλόγῳ γνωμολογεῖν οὐκ ἂν προσῆκον), cui Thierschius quoque assentitur (in actis Monacencibus III. p. 404.). Tzetzes Aristarchum et Proclum τζετζικῶς refutans haec expressit: ἀκούσατε δὲ, ὦ Πρόκλε τε καὶ Ἀρίσταρχε, κἂν περ ἡμεῖς τοῦτο οὐ διορθώσαμεν, οὐ γελοῖον ἦν καθ' ἡμᾶς, τὸ τὰ ἄλογα μὲν καὶ ἀνθρωπίνως λαλεῖν συγχωρεῖν, μὴ μέντοι δὲ γνωμολογεῖν· ἀλλ' ἰστέον, ὅτι ὁ λαλεῖν ἀνθρωπίνως εἰδὼς, καὶ γνωμολογήσει θελήσας, καὶ ᾧτινι συγκεχώρηται τὸ λαλεῖν, καὶ τὸ γνωμολογεῖν δηλονότι συγχωρηθήσεται. Graevius, cui Brunckius concinit, relegandos esse ambo post versum 212. monuit, h. e. 212. 210. 211. 213.: ad quod judicium Twestenius (l. l. p. 22.) Goettlingiusque (ad h. v.) conspirare videntur; immo Lennepius (in com. ad h. v.) Vollbehriusque (l. l. p. 50.) recte dictos esse putant. At nobis Aristarchi judicium hic praeferendum esse videtur; nam locus: φρονέουσι καὶ αὐτοῖς (v. 202.) nullam perquam legum violentiam aut quamvis injuriam magistratibus permitti indicat; quod cum consilio poetae, qui toto in carmine modum quemdam atque ordinem commendat, optime congruit. Praeterea acerbitatem suam contra rapaces largitionibus corruptos reges apertissime in versibus 207—209:

> δαιμονίη, τί λέληκας; ἔχει νύ σε πολλὸν ἀρείων·
> τῇ δ' εἶς, ᾗ σ' ἂν ἐγώ περ ἄγω καὶ ἀοιδὸν ἐοῦσαν·
> δεῖπνον δ', αἴ κ' ἐθέλω, ποιήσομαι, ἠὲ μεθήσω·

poeta docuit. Ex his igitur plane apparet versus 210. 211. postea adjectos esse. Versum 210 seq. citat. ut Hesiodi, Stobaeus (IV. 3.); unum v. 210. Theon (in Progymn. c. 3.) et Etymologus M. (p. 113. 14. apud Lennep. l. c.).

Versum 314:

> δαίμονι δ', οἷος ἔησθα, τὸ ἐργάζεσθαι ἄμεινον,

quem, ut hic legitur, Scholiastae et Codices omnes agnoscunt, teste Lennepio (in com. 314.), alii aliter corrigere studuerunt. Sed ante disputandas recentiorum emendationes interpretationesque in primis sensum, quem ei Scholiastae tribuerunt, afferemus; et quidem Proclus (ad h. v.) sic exposuit: τοῦτο οὖν φησιν ὁ Ἡσίοδος, προτρέπων εἰς τὸ μὴ ζῆν ἀργὸν, ὅτι ὁποῖος ἂν ἑκάστῳ τυγχάνῃ βίος ἀποδεδομένος, τούτῳ ἄμεινον ἐργάζεσθαι, εἴτε ἀμείνων εἴτε χείρων· καὶ μὴ ποιεῖσθαι πρόφασιν ἀργείας ἡλικίας, ἢ τύχην, ἢ ἄλλο τι τοιοῦτον. Tzetzes, cui Proclus, ut videtur, ob oculos versatus est, sic: τῷ δαίμονι καὶ τῇ τύχῃ οἷος ὑπάρχεις, ἀτυχὴς ἢ εὐτυχὴς, ἢ πένης ἢ πλούσιος, τὸ ἐργάζεσθαι ἄμεινον (Goettlingius, quem vide ad h. v., addit: *legisse autem* (Tzetza) *ἔησθα videtur*, quod non probandum est). Anonymi Scholiastae haec perhibent: δαίμονι· τύχῃ καὶ τάξει· τῇ τάξει δὲ, οἷος ἄρα εἶ, τὸ ἐργάζεσθαι καλὸν, ἐὰν οὕτως ἐργάζῃ, ὥστε μὴ ζημιοῦν ἕτερον. — Δαίμονι· τῇ

δαιμονίᾳ δόσει καὶ τύχῃ δηλαδὴ καὶ τῇ τάξει. — *Δαίμονι· τῇ τύχῃ* et *οἷος· ὁποῖος*, unde emendanda, quae in Ed. Loesneri exhibetur Augustani Codicis glossa, *οἷος· ὅμοιος*, cum praecedat ibi quoque *δαίμονι· τῇ τύχῃ*. *Itaque Graecorum Interpretum nemo, quod sciam*, Lennepius ait (l. c.), *Guyeto praeivit, esse hic οἷος pro ὅμοιος positum tradenti. Neque tamen primus sic censuit Guyetus. Namque similiter exposuerat Melanchton, Latinique Interpretes reddiderant, ligata oratione Valla: Fac Superis aequandus eas, alii soluta: Et Deo similis fueris. Secuti autem interpretationem hanc recentiorum plerique et recentissime I. H. Vossius. Sed ἔησθα est eras, non fueris: atque ut fortasse ferendum sit eras pro esses (vid. Hermannus ad Viger. p. 820.), certe probari nequit οἷος pro ὅμοιος dictum.* Schaeferus reponendum hic Homericum *δαίμονι ἶσος* censuit, et pro sequente *τό* legendum *τῷ*:

δαίμονι δ' ἶσος ἔησθα, τῷ ἐργάζεσθαι ἄμεινον·

quam conjecturam Spohnius et Dindorfius in contextum receperunt. Hermannus (ad Viger. p. 229.) hunc versum sic legendum conjicit:

δαίμων δ' οἷος ἔῃς· τῷ ἐργάζεσθαι ἄμεινον·

i. e. *δαίμων τοῖός ἐστιν, οἷος ἔῃς*, vel posita post *οἷος* distinctione, *τοῖος δ' ἔῃς, οἷος δαίμων· quae conjectura*, addit Lennepius (l. c.), *magnam utique veri speciem habet, cum θα ex seq. τῷ natum videri possit et optimus ita sit sententiae totius nexius. Verum obstat, quod δαίμονι non spernenda veteris lectionis auctoritate se tuetur.* At Goettlingius, qui versum ita distinxit: *δαίμονι δ', οἷος ἔησθα, τὸ ἐργάζεσθαι ἄμεινον*, Platonis (in Cratyl. p. 398.), ut videtur, loco: *τοῦτο τοίνυν παντὸς μᾶλλον λέγει, ὥς ἐμοὶ δοκεῖ, τοὺς δαίμονας αὐτοὺς ὠνόμασε· καὶ ἔν γε τῇ ἀρχαίᾳ τῇ ἡμετέρᾳ φωνῇ ταὐτὸ συμβαίνει τοὔνομα·* et Hesychii glossae: *δαίμων· δαήμων*, adnitens, hanc ei miram explicationem tribuit: *quapropter satius est homini prudenti, qualis olim tu fuisti, antequam alienarum rerum cupidus eras (antequam lite mecum agebas), laborare atque ita divitias justas tibi parare.* Lehrsius (l. l. p. 244.) sic scripsit: *δαίμονι δ' οἷος ἔησθα! i. e. fortuna autem qualis eras, h. e. quam felix eras!* Vollbehrius novissime haec protulit: *Versus 314* (in s. ed. 312.) *recte se habet, ita ut δαίμων sit fortuna; hoc enim dicit poeta. Tantummodo bona fortuna tua vel potius mala olim tu in hereditatis lite superior evasisti resque tuas meo quidem damno auxisti: sed fortunae periculo et inconstantiae male iterum te tuaque committes, ut labori confidere melius ac tutius sit.* Sed nos moverunt versus 396—399:

ὡς καὶ νῦν ἐπ' ἔμ' ἦλθες· ἐγὼ δέ τοι οὐκ ἐπιδώσω,
οὐδ' ἐπιμετρήσω· ἐργάζευ, νήπιε Πέρση,
ἔργα, τά τ' ἀνθρώποισι θεοὶ διετεκμήραντο,

ut hunc versum sic scriberemus:

δαιμόνι', οἷος ἔησθα! τὸ ἐργάζεσθαι ἄμεινον·

i. e. *miser, quam in calamitatem venisti (εἰς πόσον ἐλήλυθας συμφορᾶς)! praestat laborare.* Hic sensus aptissime congruit tum cum consilio

poetae, qui per totum carmen laborare fratrem monet propter egestatem, tum cum praesente fratris mala conditione. Nam Hesiodi et Persae pater, qui, ut ex ipso carmine patet, multa molitus est, ut egestatem effugeret, moriens patrimonii aliquid reliquisse videtur. Perses, dimidia parte accepta, non ea fuerat conditione, ut desidem vitam agere posset, sed opera ac labore opus erat, ut insuper aliquanto plus acquireret, quod neglexit, unde in egestatem lapsus fratri molestus exstitit, ut causa, de qua cum poeta litigabat, amplissime indicat. Quod ad vocativum *δαιμόνιε* spectat propter eam sententiam, quae reddita est, versum confer 207:

δαιμονίη, τί λέληκας; ἔχει νύ σε πολλὸν ἀρείων·

quod ad hiatum pertinet, versum 655. in Theogonia vide:

δαιμόνι', οὐκ ἀδάητα πιφαύσκεαι· ἀλλὰ καὶ αὐτοί.

Δαίμων de fortuna hominis dictum illustrat Valckenaer ad Euripidis Hippolytum (p. 251. b.). *Δαίμων* non contractum est a *δαήμων*, ut Goettlingius vult (vid. supra), sed derivatum a *δαίω*, ait Lennepius (l. v.).

Versus 317. 318:

αἰδὼς δ' οὐκ ἀγαθὴ κεχρημένον ἄνδρα κομίζει,
αἰδώς, ἥτ' ἄνδρας μέγα σίνεται, ἠδ' ὀνίνησιν

ex Homero petitos et huc translatos esse Plutarchus (vid. de Vitioso Pud. p. 529. D.) putabat, Proclo confirmante: *τοῦτον καὶ τὸν ἑξῆς στίχον παρεμβεβλῆσθαι ληφθέντας ἀπὸ τοῦ Ὁμήρου καὶ Πλούταρχος εἶπε. Δηλοῖ δ' ὅμως δι' αὐτῶν, ὅτι οὐ χρὴ αἰδεῖσθαι μετιέναι τι ἔργον, ἀφ' οὗ συλλέξεις· ἡ γὰρ χρεία κρείττων τῆς αἰδοῦς.* Exstat enim et apud Homerum versui 317. similis in Odyssea (*Ρ.* 347.):

αἰδὼς δ' οὐκ ἀγαθὴ κεχρημένῳ ἀνδρὶ παρεῖναι·

versui 318. similis in Iliade (*Ω.* 44 seq.):

ὡς Ἀχιλεὺς ἔλεον μὲν ἀπώλεσεν· οὐδέ οἱ αἰδὼς
γίγνεται, ἥτ' ἄνδρας μέγα σίνεται ἠδ' ὀνίνησιν.

Movit hoc Brunckium, ut utrumque versum deleret. Ex Hesiodo in Homerum eos translatos statuit Heynius (in Il. *Δ*. 27.). Spohnius versus 317—319. obelo notavit. Immo, ut Hesiodi, utrumque versum citat Stobaeus (XXIX. p. 198.). Ut Hesiodeos memorat eos etiam Eustathius (ad Il. p. 1338. 26., ad Od. p. 1823. 31.). Sed nihil quidem est, cur conjiciamus hos duo versus spurios esse, quum proverbia essent, ideoque iis tum Hesiodo tum omni illius temporis poetae uti liceret. Nunc vero quaeritur, utrum Spohnius an Goettlingius versum 317. recte explicaverit. *Αἰδὼς οὐκ ἀγαθή*, i. e. *οὐκ ἀγαθή* pro epitheto *τῆς αἰδοῦς* habendum est, Goettlingius construit Anonymo, ut videtur, assentiens Scholiastae, qui sic exposuit: *ὅτι ὁ ἐνδεὴς οὐκ ὀφείλει αἰδεῖσθαι· τὸν γὰρ τοιοῦτον οὐκ ἀγαθὴ αἰδὼς ἄγει.* Similia etiam Proclus docuisse videtur: *καὶ οὐκ ἂν εἴη ἡ αἰδὼς ἀγαθὸν, ἀλλ' ἔστιν ὅτε καὶ βλαβερόν.* Itaque duo *αἰδοῦς* genera distincta

esse videntur, ἀγαθὴ et οὐκ ἀγαθή, quod poetae perquam dissentaneum est, ut ex versibus 319. 324. lucet:

αἰδώς τοι πρὸς ἀνολβίῃ, θάρσος δὲ πρὸς ὄλβῳ·
ἀνθρώπων, αἰδῶ δέ τ' ἀναιδείῃ κατοπάζῃ·

in illo enim αἰδὼς τῷ θάρσει, in hoc τῇ αἰδοῖ ἀναιδείη opponitur. Spohnius ἀγαθὴ adverbii loco posuit, quod probandum est, οὐκ ἀγαθὴ κομίζει construens, i. e. *non bene, non, ut ei prosit.* Ad hanc sententiam Hermannus quoque et Lennepius (in com. vv. 317—319.) conspiraverunt (conf. etiam Vollbehr. l. l. p. 57 seq.).

Jam ab initio in mente fuit poetae fratrem in universum docere, quomodo bene beateque vivendum sit; qui eam vivendi rationem adipiscetur, alienarum rerum si cupidus non sit diligenterque operetur. Quibus rebus ita se habentibus, quando et quomodo laborandum prospero successu est, nunc ei statuere poeta conatus est. Henricus Stephanus (apud Gaisford. v.381.) de hac carminis parte dixit haec: *nescio quo judicio vulg. edd. hunc librum secundum Hesiodi constituant, quum si hic sit initium secundi, illud* Ἤματα δ' ἐκ Διόθεν πεφυλαγμένος *tertii initium esse oporteat: quod tamen illae dicere ausae non sunt, licet et hanc partem a praecedentibus distinguentes. Ego certe considerans titulum hujus opusculi esse* Ἔργα καὶ Ἡμέραι, *et ita in duas duntaxat esse partes divisum, illis editionibus assentiri non potui, quae librum secundum hinc incipere volunt: (nam alioqui tres esse libros necesse foret opusculi in duas tantum partes divisi, uti dixi) sed satis esse putavi si literis majusculis ostenderem poetam ad alterum prioris libri membrum transire. Quum enim antea hortatus sit fratrem ad suscipiendos labores, praesertim rusticos, multa interim salubria ad instituendam vitam consilia admiscens, nunc de iis et in tempore et certa arte suscipiendis praecepta tradit: adeo ut quae praecedunt ad hunc usque locum, veluti praefationis cujusdam vicem obtinere videri possint.* Ex hac carminis parte, in qua de agricultura agitur, tanquam praestantissima, carminis nomen Ἔργα profectum esse videtur. Recte quidem Rankius (l. l. p. 38 seq.) observat: Ἔργα *carmen jam ex antiquissimis temporibus vocatum est; neque immerito;* Ἔργα *enim prae ceteris omnibus commendantur,* Ἔργα *maximam partem carminis complectuntur. Quod cur poeta fecerit, primum his versibus 397 seq. indicatum est:*

. . . . ἐργάζευ, νήπιε Πέρση,
ἔργα τά τ' ἀνθρώποισι θεοὶ διετεκμήραντο.

Ex Hesiodi igitur sententia dii ipsi instituerunt, ut homo agri colendi negotia susciperet; hanc unam rationem fugiendae egestatis praescripserunt; haec est iis gratissima omnium et acceptissima (vv. 309—310.):

καί τ' ἐργαζόμενος, πολὺ φίλτερος ἀθανάτοισιν
ἔσσεαι, ἠδὲ βροτοῖς . . . .

Itaque perperam quidam ex versu 383. alium librum volunt (conf. Lehrs. l. l. p. 188.; Twesten. l. l. p. 49.).

Versus 381. 382:

σοὶ δ' εἰ πλούτου θυμὸς ἐέλδεται ἐν φρεσὶν ᾗσιν,
ὧδ' ἔρδειν, καὶ ἔργον ἐπ' ἔργῳ ἐργάζεσθαι,

postea additos esse statuit Goettlingius (ad h. v.) una cum Twestenio (l. l. p. 49.). Sed ambo hos versus, qui transitum ad praecepta de Operibus faciunt, Proclus ipse agnoscit, neque ullam antiquorum de iis dubitationem memorat: *τὰ μὲν ἔμποσθεν ῥηθέντα πάντα κοινὰ παιδεύματα ἦν, εἰς πολιτικὴν τείνοντα ζωὴν, ἀναμιμνήσκοντα τῶν τῆς κακίας αἰτιῶν, καὶ τῆς ποικιλίας τῶν βίων, καὶ τυποῦντα γνώμαις τισὶ τὸ ἦθος. Τὰ δὲ ῥηθησόμενα τῶν μὲν κακοπραγιῶν ἀπάγει τὸν ἀκροατὴν, ἄγει δὲ ἐπὶ τὸν γεωργικὸν βίον καὶ τὸν ἐκ τούτου δίκαιον πόρον, καιροὺς ὑπογράφοντα καὶ τύπους ἀροτρηάσεων, ἀμητῶν, φυτείας, τρυγητοῦ, τῶν τοιούτων πάντων. Τούτοις δ' ἑξῆς περὶ ναυτιλίας διαλέξεται τοῖς καὶ ἀπὸ ταύτης τρέφεσθαι βουλομένοις, ὁμοίως ὑπογράφων τὰς τοῦ πλεῖν ὥρας, καὶ τὰς τῶν πλοίων ἐπιμελείας* (conf. Rank. l. l. p. 23.; Lennep. in com. ad h. v.; Vollbehr. l. l. p. 63 seq.).

Versibus 396. 397:

ὡς καὶ νῦν ἐπ' ἔμ' ἦλθες· ἐγὼ δέ τοι οὐκ ἐπιδώσω,
οὐδ' ἐπιμετρήσω· ἐργάζευ, νήπιε Πέρση,

patet Persem, patrimonio distributo (v. 37.), rem suam dissipasse et a fratre auxilium petiisse. Num poeta nunc, nullo auxilio dato, in jus vocatus fuerit? Num haec causa maximi fuerit momenti, unde profectus fuerit poeta ad hoc carmen componendum fratrique donandum, ut eum continua egestate solveret? Pro *ἐγκλινομένῳ τοι* (v. 396.) scribendum est *τὸ ὀρθοτονούμενον τοὶ* propter oppositionem: *ἐγὼ δὲ τοὶ οὐκ ἐπιδώσω,* scilicet *tibi tam desidioso homini.* Fortasse versus 396. sic scribendus est:

ὡς καὶ νῦν ἐπ' ἔμ' ἦλθες· ἐγὼ δὲ τοὶ οὐκ ἐπινεύσω.

Versum 405:

οἶκον μὲν πρώτιστα, γυναῖκά τε, βοῦν τ' ἀροτῆρα,

bis citat Aristoteles (in Polit. I. 1.): *ὀρθῶς Ἡσίοδος εἶπε ποιήσας, Οἶκον μὲν πρώτιστα κ. τ. λ. ὁ γὰρ βοῦς ἀντ' οἰκέτου τοῖς πένοισίν ἐστιν·* et (in Oecon. I. 29.): *καθ' Ἡσίοδον δέοι ἂν ὑπάρχειν Οἶκον μὲν κ. τ. λ. τὸ μὲν γὰρ τῆς τροφῆς πρῶτον, τὸ δὲ τῶν ἐλευθέρων, ὥστε δέοι ἂν τὰ περὶ τὴν τῆς γυναικὸς ὁμιλίαν οἰκονομίσασθαι καλῶς.* Ex his igitur verbis colligitur sequentem versum 406:

κτητὴν οὐ γαμετὴν, ἥτις καὶ βουσὶν ἕποιτο,

spurium esse; si enim eum Aristoteles legisset, de uxore certe non scripsisset. Scaliger falsum esse memoria Aristotelem in Oeconomicis (ad h. l.) censet, qui hoc versu absolutam putaret sententiam contineri et *γυναῖκα* ibi esse *γαμετήν.* At ex ipso versu 405. Persem coelibem fuisse apparet, quum hoc carmen componeretur. Quaeritur nunc, liceret poetae fratrem, quem ipse in re angusta videbat, ante omnia de ducenda uxore cogitare jubere? *Nam γυναῖκα, rejecto versu 406, aliter quam de uxore accipere*

non possis, ait recte Lennepius (in com. vv. 405 seq.). *Itaque*, ipse addit, *qui rejiciendum versum opinantur, simul statuant necesse est, Hesiodum in v. 405. non eximie fratrem respicere, quamvis eum manifesto allocutus sit in proxime antecedentibus. Hesiodeus autem ut versus 406 habeatur, statuendum, poetam, cum uno spiritu tria illa enuntiasset, quae operam rei rusticae daturo Persae primum et ante omnia comparanda essent, incessisse metum, ne frater γυναῖκα de uxore statim sibi comparanda intelligeret; itaque addidisse γυναῖκα intelligendam esse κτητὴν, οὐ γαμετὴν, ancillam, non uxorem. Scilicet γυνή modo simpliciter mulierem modo uxorem significat (vide supra v. 94. 399. infra 695. 698.).* Hoc proximum judicium nobis bene dictum non esse videtur. Id enim, quod frater uxorem ducere juberetur, ad suppeditandos vitae usus necessarios et ad famem depellendam contribuere potuerit, Perse ad laborandum coacto, ut ex versibus 399. 400:

μήποτε σὺν παίδεσσι γυναικί τε θυμὸν ἀχεύων,
ζητεύῃς βίοτον κατὰ γείτονας, οἱ δ' ἀμελῶσιν,

admonendi causa dictis conjicias. Praeterea servi apud Graecos rei familiaris partem perficiebant; itaque voce χρήματα (v. 407.) etiam servos comprehendas (conf. Aristot. Pol. *I.* 2: *διὸ καὶ ὁ δοῦλος ὑπηρέτης τῶν πρὸς πρᾶξιν.* Ibid. *I.* 3: *ἐπείπερ καὶ ὁ δοῦλος τῆς κτήσεως μέρος τι ἦν.* Ibid. *I.* 5: *ἔθεμεν δὲ πρός τ' ἀναγκαῖα χρήσιμον εἶναι τὸν δοῦλον* (conf. etiam Suidam v. κτῆμα· Hesychium v. κτῆμα.). Quod Lehrsius (l. l. p. 191.) ab initio significasse *servam non nuptam* dixit, recte Goettlingius refutavit (ad h. v.): *sed fuisse nuptias sic dictas servorum cum servis antiquo tempore probari non potest.* Ipse Goettlingius (l. c.) statuit: *adjectum esse versum ab eo, qui haec non congruere putaret cum inferiore poematis parte, ubi de uxore ducenda Hesiodus praecipit.* Cur famula empta nec famulus emptus commendatur? Etenim in versibus 602. 603:

θῆτά τ' ἄοικον ποιεῖσθαι, καὶ ἄτεκνον ἔριθον
δίζεσθαι κέλομαι· χαλεπὴ δ' ὑπόπορτις ἔριθος,

quales poeta commendat servos, legimus. Recte igitur Muretus (in Aristotel. Oeconom. Opp. T. III. p. 478. ed. Ruhnk.) hunc versum ψευδοησιόδειον judicavit. Sed Rankius (l. l. p. 8 seq.), qui Timaei historici, Aristotelis adversarii, testimonium, non minus memoratu dignum, citat ex Procli verbis: *οὐ λέγει οὖν παλλακὴν, ἀλλὰ φύλακα τοῦ οἴκου καὶ τῶν βοῶν. Μάτην οὖν λέγουσιν οἱ περὶ Τίμαιον, Ἡσιόδῳ τὸν Ἀριστοτέλην πειθόμενον μετὰ τὴν τῆς γυναικὸς τελευτὴν Ἑρπυλλίδι συνεῖναι τῇ θεραπαίνῃ, ἐξ ἧς αὐτὸν σχεῖν υἱόν*, haec colligit: *de qua re quomodocunque judicare volumus, Timaei aetate versum jam lectum esse, et pro antiquo habitum, nemo negare poterit.* Ab illo igitur tempore legitur in omnibus, qui exstant, codicibus, ut etiam ex hoc loco, qui sequitur, Philomeli (de Virtutibus et Vitiis ab Herculanensi societate editi Col. III.) perspici potuerit: *καὶ πῶς δέχεται γαμετὴν ὑφ' Ἡσιόδου λέγεσθαι τὴν γυναῖκα πολλῶν καὶ φασκόντων αὐτὸν γεγραφέναι κτητὴν οὐ γαμετήν.* At Aristotele Theophrastoque judicibus, quis negare potuerit versum 406. non esse intercalatum? Versum 405.

respiciunt Plutarchus (in Conv. Quaest. IX. *Π.* 3.) et Lucianus (in Nav. c. 20. T. III. p. 261.).

Versus 451:

δεικνύει ὀμβρηροῦ· κραδίην δ' ἔδακ' ἀνδρὸς ἀβούτεω,

postrema respicit Eustathius (ad Il. p. 71. 11.). Hesiodeam phrasin: *κραδίην δ' ἔδακ' ἀνδρὸς ἀβούτεω* aemulatus est Simonides in Epigrammate de nive, quod servavit Athenaeus (III. 99.): *ἀνδρῶν δ' ἀχλαίνων ἔδακε φρένας* (apud Lennep. in com. ad h. v.). At ex versu sequente 452:

δὴ τότε χορτάζειν ἕλικας βοῦς ἔνδον ἐόντας,

locum *κραδίην δ' ἔδακ' ἀνδρὸς ἀβούτεω* non recte legendum esse conjiceres; certe *ἀβούλεω* pro *ἀβούτεω* dicendum esse exspectares; scilicet dolent inconsulti, quum hieme pabulum bobus necessarium in tempore non prospexerint; quod ex desidia oritur. Id optime cum poetae proposito convenit; id etiam ex versibus 606. 607:

χόρτον δ' ἐσκομίσαι καὶ συρφετὸν, ὄφρα τοι εἴη
βουσὶν καὶ ἡμιόνοισιν ἐπηετανόν· αὐτὰρ ἔπειτα,

concluderes. Praeterea in eundem sensum etiam vocabulum *μελέτη* (v. 457.) quadrat. Nam multa desidiosus animo suo substituit, ut recte Proclus (v. 455.) ait: *ὁ μὲν φρένας ἀφνειός ἐστιν, ὅς οὐκ ὢν εὔπορος, ταῖς ἑαυτοῦ φαντασίαις ταῖς κεναῖς οἴεται εἶναι εὔπορος· διὸ καὶ νήπιος οἰόμενος τὰ μὴ ὄντα.* Hic igitur talis vir refertur, currum quaerens hieme ideoque *φρένας ἀφνειὸς ὤν.* Sed etiam currus, antequam currus fiat, laborem requirit, ut versus 457. plane docet:

τῶν πρόσθεν μελέτην ἐχέμεν οἰκήϊα θέσθαι.

Loco autem *φρένας ἀφνειὸς* (v. 455.) ironia exponitur, quae clarior erit, si versum 455. sic legas:

φησί θ' ἀνὴρ φρένας ἀφνειὸς πήξασθαι ἅμαξαν·

i. e. inconsultus ille vir cett. Talis vero inconsultus homo depingitur hic Perses; nam versatus in desidia lapsusque, profuso patrimonio, in egestatem apud fratrem refugium somniabat, cui iterum atque iterum molestus erat. Verba: *Βόε δὸς καὶ ἅμαξαν* (v. 453.), et: *Πάρα δ' ἔργα βόεσσι* (v. 454.), proverbia sunt, quae recte Proclus explicavit: *καὶ ὁ Λάκων τὴν κυνῆν αἰτούμενος, εἰπεῖν λέγεται πρὸς τὸν αἰτοῦντα· εἰ μὲν εὐδία ἔσται καὶ σοὶ ἄχρηστος· εἰ δὲ χειμὼν, καὶ ἐμοὶ χρήσιμος. Καὶ γὰρ καὶ περὶ τῶν βοῶν ἐρεῖ ταὐτὸν ὁ αἰτηθείς· εἰ μὲν μὴ καιρὸς τοῦ ἀροῦν, καὶ σοὶ ἄχρηστοι· εἰ δὲ καιρὸς, καὶ ἐμοὶ χρήσιμοι.* Etiam: *ἑκατὸν δέ τε δούραθ' ἁμάξης* (v. 456.) pars proverbii est. Sed utrum aetate Hesiodi in proverbium abierit ut Lennepius affirmat (in com. ad h. v.), an prius, non definiendum est. Nobis vero placent, quae Goettlingius (ad h. v.) docet: *hic versus multus erat in ore antiquorum* (conf. Platon. in Theaet. p. 207. A.; Galen. in Hippocr. de Nat. Hom. T. XV. p. 103. Kuehn.; Etymol. M.

v. δόρυ. p. 283. 21; Eustath. in Il. p. 49. 17. in Od. p. 1541. 11.). Ἑκατὸν pro magno numero est hic, ut recte Anonymus Scholiasta explicat: ἑκατὸν δὲ, ἀντὶ τοῦ πολλῶν.

Tum apud antiquos tum apud recentiores multum de recta disputatur interpretatione versuum 480. 481:

ἥμενος ἀμήσεις, ὀλίγον περὶ χειρὸς ἐέργων,
ἀντία δεσμεύων κεκονιμένος, οὐ μάλα χαίρων.

Et quidem Proclus (v. 479.) sic explicat: ὁ μὲν γὰρ καθήμενος ἐν τῷ θερίζειν καὶ ὀλίγον τῇ χειρὶ πλῆθος ἀσταχύων περιλαμβάνων τὸ ἄναυξες αὐτῶν ἅμα δηλοῖ, διὸ καθήμενος θερίζει· καὶ τὸ ἀραιὸν, διὸ ὀλίγους περιλαμβάνει· ὁ δὲ ἀντία δεσμεύων, τὴν κολοβότητα καὶ σμικρότητα· ἀντιβάλλοντες γὰρ αὐτοὺς καὶ ἀλλήλοις ἐναντίως τιθέντες δεσμεύουσιν. Ὁ δὲ κεκονιμένος, τὴν ψιλότητα τοῦ πεδίου, καὶ τὸ μὴ συνεσκιᾶσθαι αὐτὸ ὑπὸ τῶν ἀσταχύων, et (v. 480.): κατέχων τὰ δράγματα καὶ χειρὶ πεπληρωμένῃ, ἀλλὰ κενῇ χειρὶ, τὸ λεγόμενον καὶ περὶ ὀλίγον τόπον αὐτῆς συσφίγγων τὰ δράγματα διὰ σμικρότητα. Similia tradunt Tzetzes (v. 480.): μικρὸν χειρόβολον τῶν σταχύων περὶ τῇ σῇ χειρὶ κρατῶν et Moschopulus (ibid.): ὀλίγον διὰ τῆς χειρὸς εἴργων, ἤγουν περιλαμβάνων. Priorem Procli explicationem et Moschopuli rationem latini interpretes secuti omnes inde a Basileensi reddiderunt *pauxillum manu comprehendens;* neque dubium est, quin id voluerit Hesiodus; scrupulus est in verborum, quibus id significatum exstat, constructione. Offensus ad illam, Guyetus scribi jussit περὶ χεῖρας, quod tamen quomodo accipiendum sit, non liquet. Nam, quod addit „*les mettant bechevet* ob paucitatem" pertinet ad sequens ἀντία δεσμεύων (vid. Menagium in Diction. Etymol. v. *bechevet.*). Hermannus (in Opuscc. T. VI. p. 230.), notata constructionis difficultate explosaque Moschopuli ratione, corrigendum, nisi aliud quid lateat, ὀλίγον πέρι χειρὶ (vel χερσὶν) ἐέργων conjicit. Sed aristas messor una tantum manu stringit, altera falcem tenens: itaque plurali χερσὶν non est locus: χειρὶ ἐέργων autem, ut videri potest etiam Tzetzes legisse, valde ingratum habet hiatum, ceterum adeo facilem, ut nulla fuerit librariis illud in χειρὸς mutandi causa (apud Lennep. in com. ad v. 480.). Goettlingius (v. 481.) sic exposuit: *mihi positura mutanda esse videtur* ἥμενος ἀμήσεις ὀλίγον, περὶ χειρὸς ἐέργων ἀντία, δεσμεύων κεκονιμένος, *i. e. dann kannst du sitzend dein Bischen mähen, fassend was dir in die Hände fällt* (h. e. ut sint χειρὸς ἀντία, quae metenti obvia in manus inciderint). Sed recte Lennepius (l. c.) observat: *fit quidem plana sic constructio, sed minus concinna evadit membrorum in periodo distributio, languetque in primo membro* ὀλίγον post ἥμενος. *Convenit autem mihi cum Goettlingio* περὶ *pertinere ad* ἐέργων. *Possitne construi* (κατ') ὀλίγον χειρὸς περιεέργων *aristas ob paucitatem non tota manu sed summis tantum digitis comprehendens? Apte quidem Clericus verba contulit Psalmi CXXIX. 7. non implevit manum suam messor.* Sed loci obscuritatem, ni fallimur, vox χειρὸς praebere videtur; si enim fruges uberius percipiantur, ita te ad messem accommodare oportet, sicut hodierno die Graeci faciunt, scilicet ulna (ἀγκάλῃ) fruges stringens, alteraque manu falcem tenens, metes; sin parcius, palma tantum, h. e. parte

ulnae sive manus, quod hic verbis ὀλίγον χειρὸς exhibetur. Itaque ὀλίγον περὶ χειρὸς ἐέργων significat, palma nec ulna spicas stringens, metes. Ἥμενος ἀμήσεις significat: *sedens metes raras ob sterilitatem*, minimeque ut Goettlingius (v. 480.) vult: *propter humilitatem, tenuitatem et raritatem aristarum sedens metas.* Ἀντία δεσμεύων secundum Proclum pertinet ad τὴν κολοβότητα καὶ σμικρότητα τῶν ἀσταχύων· ἀντιπαραβάλλοντες γὰρ αὐτοὺς καὶ ἀλλήλοις ἐναντίως τιθέντες δεσμεύουσιν. Amplexi hoc Latinorum interpretum Basileensis et alii usque ad Graevium, reddentes *obversim manipulans;* Guyetus quoque, exponens, „ἀντίους τοὺς στάχυας δεσμεύων, les uns en haut les autres en bas“ idque propter spicarum inaequalitatem. Assensi sunt item recentius J. H. Vossius et Spohnius (apud Lennep. in com. v. 481.). At Lennepius (l. c.) addit: sed, quaerit Goettlingius, hoc significare ἀντία quis putet? Causam utique habuit, cur sic putaret Proclus, nescio an in Boeotorum usu, de quo monuerat in Commentario Plutarchus. Neque nego tamen, posse ἀντία simpliciter accipi, ut accepit Goettlingius: *quae obvia tibi in manus inciderint ligans.* Quod voluisse videntur etiam Graevius et Langius, reddentes *ex adversa parte* ligans. Certe hunc in annotatione exponere videas *ciò che incontra.* Ceterum facit etiam ad paucitatem proventûs declarandam, quod hic messor ipse manipulos ligat, non, ut in βαθεῖ λῄῳ fieri solebat, pone messorem alii. Sed nos nullam harum interpretationum comprobamus; nam sensus τοῦ ἀντία opponitur τῷ νεύοιεν (v. 473.) Igitur ἀντία significat: metes spicas non nutantes et parca grana continentes propter humilitatem aristarum ac tenuitatem; quae ambo maturitati ipsarum ac plenitudini (ἁδροσύνῃ v. 473.) opponuntur.

In versu 504:

μῆνα δὲ Ληναιῶνα, κάκ' ἤματα, βουδόρα πάντα,

laborant interpretes; et quidem Ληναιὼν nullus apud Boeotos dicebatur mensis secundum Plutarchum apud Proclum et Hesychium (v. Ληναιών.). Hoc movit, ut videtur, Goettlingium (ad h. v.), ut miram juberet conjecturam: *hunc versum non ab Hesiodo Boeoto profectum*, sed ab Ionico poeta, *ut multa alia in hoc carmine, certum est. Nam Boeotis dicebatur Βουκάτιος, qui est Atticis Γαμηλιὼν, Latinis Decembris pars cum parte Januarii.* Twestenius (l. l. p. 56 seq.) omnem hanc hiemis descriptionem Hesiodo item abjudicat. Lehrsius (l. l. p. 201.) veterem Hesiodum inde a versu 536. agnoscit. Ληναιὼν esse nomen Ionicum, dictum ita a Lenaeorum festo, affirmat Boeckhius (de Lenaeis p. 50. seq.). Abjicienda certe sunt, quae leguntur tum apud Lennepium (in com. vv. 504—564: *quid, quaeso, nos prohibeat causam illam in eo quaerere, quod aetati Hesiodi idem mensi nomen etiam Boeoti tribuerint, licet postea apud eos alio mutatum sit, ut in Italia pro variis temporibus varia fuerunt mensium nomina*); tum apud Vollbehrium (l. l. p. 69: *quis enim nescit, num antiquitus Boeotorum menses iidem fuerint, qui posterioribus temporibus nominantur?*). Nam Plutarchum ipsum Boeotum simulque virum eruditissimum, eundemque in Hesiodi Operibus et Diebus multum versatum, talia verba hac in re minime decent. Rectissime igitur Rankius (l. l. p. 10.)

exposuit: *ac quem possumus nobis interpretem optare, auctoritate magis dignum, quam Plutarchum Boeotum et in Boeotia viventem, qui terrae naturam nosset historiaeque totius et antiquitatem Graecorum scientia polleret. Itaque Plutarchi liber licet interierit, tamen ipsis ex reliquiis a Proculo servatis satis ostenditur, quae commoda nobis inde orta sint, quod is potissimum ad explicandum hunc poetam sese converterit.* Jam vero Proclus haec dixit: *Πλούταρχος οὐδένα φησὶ μῆνα Ληναιῶνα καλεῖσθαι παρὰ Βοιωτοῖς:* cui annotationi aptissime opponenda est Lennepii (l. c.) conjectura: *modestior, ut vidimus, Plutarchus fuit, satis habens notasse, Hesiodum in designando mense non usum esse nomine, quod Boeotis familiare esset factum, ceterum admittens, quamvis hoc non diserte dicat, Hesiodo potuisse causam esse, cur mensem illum Ληναιῶνα dixerit.* Unde certe nihil colligitur hunc versum suppositititum esse. Praeterea neque Plutarchus neque Proclus ambiguam alicubi mentionem de ipso versu expresserunt (conf. Plutarch. in Pelopid. p. 290. E.). Attamen cur Hesiodus, quamquam Boeotus, Ionicam dialectum usurpavit? Satis igitur verisimilia essent, quae Lennepius exhibet (l. c.): *nisi dicere malis Hesiodum, qui certe origine Boeotus non erat, in mense indicando uti maluisse nomine, quod in plurimis Graeciae partibus usu pervulgatum esse sciret.* Tzetzes et Moschopulus *Ληναιῶνα* haud male interpretati fuerint Januarium, quamvis dissentiente Georgio Pachymere (de Andronico Palaeologo IV. 15: *μηνὸς ἐνεστῶτος Ἰανουαρίου, ὃν οἱ τὸν Ἀσκρῆθεν ποιητὴν ἐξηγούμενοι Ληναιῶνα κατ᾽ Ἀθηναίους ἔλεγον, οὐκ ὀρθῶς*). De voce *βουδόρα* sic commentatur Eustathius (in Il. p. 1117. 53 seqq.): *Ἡσίοδος ἐν τῇ τοῦ χειμῶνος ἐκφράσει βούδορα εἰπὼν ἤματα προπαροξυτόνως μετὰ παθητικὴν σημασίαν, ἐν οἷς βόες ἀποδέρονται· ἢ κατὰ ἐνέργειαν παροξυτόνως τὰ τοὺς βοῦς ἐκδέροντα· διὰ τοῦ μέρους τῶν βοῶν δηλαδὴ πάντα ζῶα ἐδήλωσε.* Etymologus M. (p. 564. 6.) haec docet: *βουδόρα ἤματα· τὰ τοὺς βόας ἐκδέροντα διὰ τὸ κρύος.* Videtur igitur hic scribendum *παροξυτόνως* (conf. etiam Schol. V. P. 550. Heyn. ad Il. T. VII. p. 745.), et significat non solum nutrimenti inopiam per hiemem, ut Goettlingius (ad h. v.) vult, sed omnia mala, quae frigora secum ferunt (conf. Xenoph. de Venat. VIII. 21; Virgil. Ecl. X. 49. Georg. III. 295 seqq.), ut liquet ex versibus 505. 506:

τοῦτον ἀλεύασθαι, καὶ πηγάδας, αἵ τ᾽ ἐπὶ γαῖαν
πνεύσαντος Βορέαο δυσηλεγέες τελέθουσιν.

Conferantur versus 512—515:

θῆρες δὲ φρίσσουσ᾽, οὐρὰς ὑπὸ μέζε᾽ ἔθεντο,
τῶν καὶ λάχνῃ δέρμα κατάσκιον· ἀλλά νυ καὶ τῶν
ψυχρὸς ἐὼν διάησι δασυστέρνων περ ἐόντων,
καί τε διὰ ῥινοῦ βοὸς ἔρχεται, οὐδέ μιν ἴσχει.

et versus 529—535:

καὶ τότε δὴ κεραοὶ καὶ νήκεροι ὑληκοῖται
λυγρὸν μυλιόωντες ἀνὰ δρία βησσήεντα
φεύγουσιν· καὶ πᾶσιν ἐνὶ φρεσὶ τοῦτο μέμηλεν,

οἳ σκέπα μαιόμενοι πυκινοὺς κευθμῶνας ἔχουσι
καὶ γλάφυ πετρῆεν· τότε δὴ τρίποδι βροτῷ ἶσοι,
οὗτ' ἐπὶ νῶτα ἔαγε, κάρη δ' εἰς οὖδας ὁρᾶται,
τῷ ἴκελοι φοιτῶσιν, ἀλευόμενοι νίφα λευκήν.

Recte igitur Lennepius (l. c.) exposuit: *est* δέρω, *sive* δαίρω, *proprie decorio, pellem detraho, hinc universe pellem sive cutem laedo, eximie pulsando, tundendo, verberando, ut complures docent loci Aristophanis.* Itaque proverbium, quod Goettlingius (ex Vatic. Append. I. 22. Schotti.) citat: βουδόρῳ νόμῳ· ἐπὶ τῶν ἀξίων τοῦ δαίρεσθαι, ὡς οἱ βόες, nullum hic locum obtinere potest.

Versus 561—563:

ταῦτα φυλασσόμενος τετελεσμένον εἰς ἐνιαυτὸν
ἰσοῦσθαι νύκτας τε καὶ ἤματα, εἰσόκεν αὖθις
γῆ πάντων μήτηρ καρπὸν σύμμικτον ἐνείκῃ,

Plutarchus induxit, judice Proclo (τοῦτον καὶ τοὺς δύο ἑξῆς διαγράφει Πλούταρχος. Δηλοῦσι δὲ χρῆναι διόλου τοῦ ἔτους βλέπειν εἰς τὰς νύκτας καὶ τὰς ἡμέρας, καὶ πρὸς ταύτας ἰσοῦν τὰ ἔργα, ἕως ἂν μετὰ τὸν σπόρον ἡ ὥρα ἀφίκηται τῆς τῶν καρπῶν συλλογῆς. Τούτων δὲ διαγραφέντων, ἀκόλουθα τὰ ἑξῆς ᾖ), qui etiam suum calculum addit, ut in iis, quae leguntur, percipitur; unde Graevius, quocum Brunckius convenit, expungendos censuit. Gaisfordius aliique cum Goettlingio uncinis incluserunt. Adversus Goettlingium pro tuendis versibus disputavit Hermannus (in cens. Goettling. p. 243.), qui, ut versus hi arctius cohaerent, unam tantum addidit literam, deleta post εἰσὶ interpunctione: μακραὶ ἐπίῤῥοθοι εὐφρόναι εἰσὶ ταῦτα φυλασσομένοις ἰσοῦσθαι κ. τ. λ., ut sit, *longae enim noctes haec observantibus adjumento sunt ad aequandum in omnem annum noctes atque dies.* Si versus, qui exstant, interpretari velis, certe Tzetzae obsecutus sis, qui sic explicavit: ἰσοῦσθαι τὴν ἁρμαλιὴν τοῖς ἔργοις καὶ τῇ χρείᾳ κατὰ νύκτας τε καὶ ἤματα. Quem Lennepius (in com. vv. 559—563.) et novissime Vollbehrius (l. l. p. 70.), ut videtur, amplecti, versus 561—563. pro genuinis tuiti sunt (conf. etiam Lehrs. l. l. p. 203.). Nos vero movit versus 617:

ὡραίου· πλειὼν δὲ κατὰ χθονὸς ἄρμενος εἴη,

ut Plutarchi judicium probaremus. Nam quod summatim significat versus, qui in fine hujus carminis partis positus est, in qua de re rustica agitur, ad omnia spectat praecepta, quae poeta de agricultura dixit, i. e. *si sic egeris, annus in operibus terra obeundis recte dispositus fuerit* (conf. Procl. ad h. v. ἐὰν ταῦτα ποιήσῃς, ὁ ἐνιαυτός, φησιν, ὅλος ἁρμόδιος ἔσται); quam sententiam indagandam etiam ex versibus 561—563. expromes. Nam hi versus logice spectant ad omnem narrationem, in qua de re rustica agitur; ideo pro subdititiis habendi sunt. Nunc autem ad ipsum versum 617. venimus, de quo Goettlingius (ad h. v.) multa, non justa, exhibet: *hic versus temere adjectus esse videtur ab eo rhapsodo, qui non sine fine hanc Hesiodi carminis partem esse volebat; nam quod sequitur*

πλειὼν δὲ κατὰ χθονὸς ἄρμενος εἴη non una parte laborat. Primum enim nihil voluisse videtur auctor nisi hoc: atque ita quidem recte constituti sint totius anni conditi labores; sed deest ὧδε, οὕτως vel tale aliquid; deinde rectius dixisset: καὶ οὕτως ἄρμενος ἂν εἴη πλειὼν κατὰ χθονός: denique πλειὼν est vocabulum recentioris aetatis, ne dicam Alexandrinae. At nulla de ipso versu ambiguitas aut apud Proclum aut apud alios veteres interpretes (conf. Hermann. in Opuscc. T. VI. p. 245.), neque de vocabulo πλειὼν legitur. *Πλειὼν δὲ ὁ ἐνιαυτός, ἀπὸ τοῦ πάντα πεπληρῶσθαι, ἢ ἀπὸ τῶν Πληϊάδων· ἐξ αὐτῶν γὰρ οἱ στοχασμοὶ τοῦ πότε δεῖ καὶ σπεῖραι καὶ θερίσαι,* ait Proclus (ad h. v.). Sed recte Lennepius (in com. ad h. v.) respondet: *usurpatum πλειὼν de anno etiam a Callimacho* (H. in Jove v. 89.), *Lycophrone* (vv. 201. 1039.), *Antipatro Sidonio* (Ep. XIII. v. 3. in Anal. Brunckii II. p. 9.), *unde tamen non efficitur, quod vult Goettlingius, aetatis esse recentioris hoc vocabulum. Constat Callimachum certe et Lycophronem antiquorum verborum in primis fuisse studiossos* cett. Aliter putat Lehrsius (l. l. p. 206.), quem, ut saepissime, sic etiam nunc audire non volumus. Fortasse versus 617. scribendus est:

ὡραίου· πλειὼν δ' εἶτα χθονὸς ἄρμενος αἰεί.

In versibus 618—694. de navigatione agitur. Haec quoque carminis pars cum antecedentibus connexa est; necessario enim sequitur, ut fruges, quas terra pepererit, permutes; itaque agitur de mercatura exercenda. Utrumque penes Persem est, ut victum sibi quaerat, si patris exemplum voluerit; utrumque haud parvo labore conficitur. Utque illis praeceptis, quae ad agros colendos pertinent (conf. vv. 394. 395. *ἔργα … ὥς τοι ἕκαστα ὥρι' ἀέξηται.* v. 422. *μεμνημένος ὥρια ἔργα*), sic hic, quae ad navigandum spectant, omnia, quae obtineri potuerint, pro tempore peragenda praescribit poeta. Versum 618:

εἰ δέ σε ναυτιλίης δυσπεμφέλου ἵμερος αἱρεῖ,

alius esse recensionis pro v. 646 seq. conjicit Goettlingius (ad h. v.); sed bene respondet Lennepius (in com. ad h. v.), quod sine quo nimis abrupte factus esset transitus a praeceptis de re rustica ad haec de navigatione (conf. Lehrs. l. l. p. 207; Rank. l. l. p. 20 seq.; Vollbehr. l. l. p. 72 seq.). Versum 618. integrum, sed sine poetae nomine, citat Etymologus M. p. 292. 36., ut Hesiodi, Zonaras p. 579; respicit eum ob vocabulum δυσπεμφέλου (ad Il. p. 1084. 39. p. 1153 seq.) Eustathius: *δυσπέμφελος δὲ πόντος, ὁ δυσχείμερος, δι' οὗ δυσχερῶς ναῦς πέμπεται. Ὅθεν καὶ Ἡσίοδος δυσπέμφελον τὴν ναυτιλίαν φησί.* Cum quibus conferantur etiam haec (apud Scholiastam Victor. ad Il. *Π.* 748. apud Heynium T. VII. p. 790.): *Ζηνόδοτος, δυσπέμφελοι εἶεν, γράφων, ἐπὶ τῶν ἀνδρῶν ἤκουεν· οἷον δυσάρεστοι οἱ ἑταῖροι· δηλονότι, ὡς καὶ Ἡσίοδος, πολυξείνου δαιτὸς δυσπέμφελος* (v. 722.) *εἶναι· ἢ ἀπλήρωτος· καὶ Ἡσίοδος· ναυτιλίης δυσπεμφέλου· κέρδους γὰρ οὐ πίμπλαται.* Attamen poetam ipsum pronum non esse in navigationem ostendit vocabulum δυσπεμφέλου in eodem versu (conf. etiam vv. 236. 237. *οὐδ' ἐπὶ νηῶν νείσσονται*), cui subjungi neglecta est a poeta apodosis secundum Goettlingium (l. c.) Lenne-

piumque (l. c.), et supplenda: *haec observanda sunt.* Immo vero si versus quosdam transponas, omnis, ut opinamur, de hac re tollitur dubitatio. Sic igitur legendum est:

v. 618. *εἰ δέ σε ναυτιλίης δυσπεμφέλου ἵμερος αἱρεῖ,*
vv. 648—649. *δείξω δή τοι μέτρα πολυφλοίσβοιο θαλάσσης,*
οὔτε τι ναυτιλίης σεσοφισμένος, οὔτε τι νηῶν.
vv. 619—642. *εὖτ᾽ ἂν Πληϊάδες, σθένος ὄβριμον Ὠρίωνος*
φεύγουσαι, πίπτωσιν εἰς ἠεροειδέα πόντον,
δὴ τότε παντοίων ἀνέμων θύουσιν ἀῆται.
καὶ τότε μηκέτι νῆας ἔχειν ἐνὶ οἴνοπι πόντῳ,
γῆν δ᾽ ἐργάζεσθαι μεμνημένος, ὥς σε κελεύω.
νῆα δ᾽ ἐπ᾽ ἠπείρου ἐρύσαι, πυκάσαι τε λίθοισι
πάντοθεν, ὄφρ᾽ ἴσχωσ᾽ ἀνέμων μένος ὑγρὸν ἀέντων,
χείμαρον ἐξερύσας, ἵνα μὴ πύθῃ Διὸς ὄμβρος.
ὅπλα δ᾽ ἐπάρμενα πάντα τεῷ ἐνικάτθεο οἴκῳ,
εὐκόσμως στολίσας νηὸς πτερὰ ποντοπόροιο.
πηδάλιον δ᾽ εὐεργὲς ὑπὲρ καπνοῦ κρεμάσασθαι,
αὐτὸς δ᾽ ὡραῖον μίμνειν πλόον, εἰσόκεν ἔλθῃ.
καὶ τότε νῆα θοὴν ἅλαδ᾽ ἑλκέμεν, ἐν δέ τε φόρτον
ἄρμενον ἐντύνασθαι, ἵν᾽ οἴκαδε κέρδος ἄρηαι,
ὥσπερ ἐμός τε πατὴρ καὶ σὸς, μέγα νήπιε Πέρση,
πλωΐζεσκ᾽ ἐν νηυσὶ, βίου κεχρημένος ἐσθλοῦ.
ὅς ποτε καὶ τῇδ᾽ ἦλθε, πολὺν διὰ πόντον ἀνύσσας,
Κύμην Αἰολίδα προλιπὼν ἐν νηῒ μελαίνῃ.
οὐκ ἄφενος φεύγων, οὐδὲ πλοῦτόν τε καὶ ὄλβον,
ἀλλὰ κακὴν πενίην, τὴν Ζεὺς ἄνδρεσσι δίδωσι.
νάσσατο δ᾽ ἄγχ᾽ Ἑλικῶνος ὀϊζυρῇ ἐνὶ κώμῃ,
Ἄσκρῃ, χεῖμα κακῇ, θέρει ἀργαλέῃ, οὐδέ ποτ᾽ ἐσθλῇ.
τύνη δ᾽, ὦ Πέρση, ἔργων μεμνημένος εἶναι
ὡραίων πάντων, περὶ ναυτιλίης δὲ μάλιστα.
vv. 646—647. *Εὖτ᾽ ἂν ἐπ᾽ ἐμπορίην τρέψῃς ἀεσίφρονα θυμὸν,*
βούληαι χρέα τε προφυγεῖν καὶ ἀτερπέα λιμόν.
vv. 643—645. *νῆ᾽ ὀλίγην αἰνεῖν, μεγάλῃ δ᾽ ἐνὶ φορτία θέσθαι.*
μείζων μὲν φόρτος, μεῖζον δ᾽ ἐπὶ κέρδεϊ κέρδος
ἔσσεται, εἴ κ᾽ ἄνεμοί γε κακὰς ἀπέχωσιν ἀήτας.
vv. 663—694. *Ἤματα πεντήκοντα μετὰ τροπὰς ἠελίοιο*
εἰς τέλος ἐλθόντος θέρεος, καματώδεος ὥρης,
ὡραῖος πέλεται θνητοῖς πλόος· οὔτε κε νῆα
καυάξαις, οὔτ᾽ ἄνδρας ἀποφθίσειε θάλασσα,
εἰ μὴ δὴ πρόφρων γε Ποσειδάων ἐνοσίχθων,
ἢ Ζεὺς ἀθανάτων βασιλεὺς ἐθέλῃσιν ὀλέσσαι.
ἐν τοῖς γὰρ τέλος ἐστὶν ὁμῶς ἀγαθῶν τε κακῶν τε.
κ. τ. λ.

Versus 623:

γῆν δ᾽ ἐργάζεσθαι μεμνημένος, ὥς σε κελεύω,

nexum cum iis arcte memorat, quae de re rustica sunt dicta (conf. Rank. l. l. p. 21.). Goettlingii conjecturam, hunc versum ab eo poeta adjectum esse videri, qui transitum parabat a carmine de agricultura ad novum carmen de navigatione, satis refutavit Hermannus (in Opuscc. T. VI. p. 245.). Lennepius quoque bene observat (in com. ad h. v.): *tum remoto versu 623., offensionem faciunt nimis propinqua sibi invicem v. 622. νῆας, v. 624. νῆα.*

Versus 633—642. Goettlingio, Twestenium (l. l. p. 57.), ut videtur, sequenti, *adjecti serius esse videntur, qui non Cumanum, sed Boeotum fuisse Hesiodum ex ipsis ejus versibus demonstrare et ita quidem demonstrare vellent, ut Ascram, in qua natus fuisset, reliquisse et alio secessisse, Orchomenum sine dubio, videretur. At mire ipse Goettlingius non memor fuit eorum, quae de vita Hesiodi (in praef. p. VII.) exposuit: sunt ex recentioribus qui Cumaeum dicunt (in quibus I. H. Vossium esse mireris, v. Alte Weltkunde p. XX. et Schoelium Hist. lit. Graec. T. I. p. 130. ed. nov.), quamquam hi ex ipsis Hesiodi poematis discere poterant Ascrae in Boeotia, oppido quadraginta stadia a Thespiis sito (Eustath. Il. p. 266.),* cujus nullae nunc reliquiae supersunt (Coraes apud Strab. T. IV. p. 188 seq. ruinas Ascrae adhuc existere affirmat in oppido, quod hodierno die appellatur Neochorium), *natum esse auctorem Operum. Nam Ἔργ. vers. 650 seq., quibus in hanc rem usus est auctor certam. Homeri et Hesiodi n. edit. p. 313., ita legitur:*

οὐ γάρ πώποτε νηΐ γ' ἐπέπλων εὐρέα πόντον,
εἰ μὴ εἰς Εὔβοιαν ἐξ Αὐλίδος.

Unde satis patet Hesiodum nondum fuisse natum, quum ejus pater Cuma Aeolensium Ascram Boeotorum venisset (v. *Ἔργ. 636.*), *ut ibi domicilium poneret. Ascram patriam Hesiodi praeterea testantur poetae antiqui tantum non omnes* cett. Nos autem post versuum ordinem, quem supra dedimus, diversam in hac indaganda re rationem sequemur. Ex versibus 635—638:

ὅς ποτε καὶ τῇδ' ἦλθε, πολὺν διὰ πόντον ἀνύσσας,
Κύμην Αἰολίδα προλιπὼν ἐν νηῒ μελαίνῃ.
οὐκ ἄφενος φεύγων οὐδὲ πλοῦτόν τε καὶ ὄλβον,
ἀλλὰ κακὴν πενίην, τὴν Ζεὺς ἄνδρεσσι δίδωσι,

patrem Hesiodi Cumanum fuisse patet, propterque paupertatem Ascram migrasse. Orchomenii Hesiodum Ascraeum dicebant, ut ex titulo, quem Chersias Orchomenius Hesiodi tumulo inscripsit, plane apparet (apud Paus. IX. 38.):

Ἡσιόδου, τοῦ πλεῖστον ἐν Ἑλλάδι κῦδος ὀρεῖται
ἀνδρῶν κρινομένων ἐν βασάνῳ σοφίης,
Ἄσκρη μὲν πατρὶς πολυλήϊος, ἀλλὰ θανόντος
ὀστέα πληξίππων γῆ Μινυῶν κατέχει.

Pausanias (IX. 29.) et poetae Latini Hesiodum Ascraeum velle videntur (conf. O. Müller. in Orchom. p. 89.; Bod. l. l. p. 421. not. 1.). Ephorus

(apud Pseudoplutarch. Vit. Hom. I. 2. Marx. p. 268.) Dium Ascrae Pycimedam uxorem accepisse ibique Hesiodum peperisse tradit. Proclus (ad v. 633.) haec exposuit: *καὶ γὰρ ἐκεῖνον (τὸν πατέρα) ἐκ τῆς Κύμης, μία δὲ αὕτη τῶν Αἰολίδων πόλεων, ἥκειν εἰς Βοιωτίαν, διὰ τὸ βίον ἐθέλειν ἑαυτῷ περιποιήσασθαι, οὐ πλοῦτον φεύγοντα, ἀλλὰ πενίαν ...... τὸν δὲ πατέρα φησὶ μετανάστην γενέσθαι, ἐκ τῆς Κύμης ἐλθόντα, ἀφ' ἧς καὶ Ἔφορος ἦν, βίου δεόμενον.* (Conf. etiam Tzetz. v. 632.). Contra Heraclides (apud Coraem in *Προδρόμῳ Ἑλλ. βιβλιοθ.* p. 356: *ὅτι δὲ Κυμαῖος ἦν ὁ Ἡσίοδος, ἐμφαίνει μὲν καὶ αὐτὸς Ἡρακλείδης διὰ τοῦ, Ἐντεῦθεν δοκεῖ λέγειν, δῆλον δὲ καὶ πολλαχόθεν ἄλλοθεν*) et Suidas (v. *Ἡσίοδος*) Cumanum eum volunt; cum quibus conveniunt recentiorum Gyraldus (de poetarum historia dial. II.) aliique (apud Goettlingium supra). Attamen fertur Hesiodus Ascraeus, sive quod Ascrae natus esset, sive quod puer cum patre Ascram migrasset. Quin locis *χεῖμα κακῇ, θέρει ἀργαλέῃ* (v. 460.) tecte recordatio prioris patriae, Cumarum, ejusdemque comparatio cum posteriore dispicitur. Neque tibi satis habere liceret, si legeres, quae Proclus (v. 640.) ab Eudoxo profecta notat: *Εὔδοξος οὖν φησι ταύτην (Ἄσκρην) ἀνήλιον εἶναι ἐν χειμῶνι διὰ τὸ ὄρος τὸ ἐν Ἑλικῶνι· ἔστι δὲ τοῦτο τῆς Βοιωτίας καὶ ἐν τῷ θέρει φλέγεσθαι. Ἔστιν οὖν ἡ Ἄσκρη δυσχείμερος· ἀνάγκη γὰρ χιονίζεσθαι αὐτὴν οὖσαν ἐγγὺς τοῦ ὄρους.* Recte quidem Lennepius (in com. v. 639.) addit: *sed tamen et vineas in Ascrae vicinia fuisse docent vv. 570 sqq. vv. 611 seqq., et ab agrorum fertilitate πολυλήϊος Ἄσκρη dicitur in Epigram. apud Pausan. IX. 38., nec videtur Hesiodus aliud significare voluisse, quam molestum Ascrae fuisse hieme frigus, aestate calorem; itaque nullo tempore anni jucunde illic habitari: quae tamen habitationis incommoda subeunda pater Hesiodi putaverit, quod multis illa agri vicini commodis compensarentur.* Liquet igitur poetam Cumis natum esse puerumque cum patre Ascram migrasse. Hoc pro certo posito, versus 650—662:

οὐ γάρ πώποτε νηΐ γ' ἐπέπλων εὐρέα πόντον,
εἰ μὴ ἐς Εὔβοιαν ἐξ Αὐλίδος, ᾗ ποτ' Ἀχαιοὶ
μείναντες χειμῶνα πολὺν σὺν λαὸν ἄγειραν
Ἑλλάδος ἐξ ἱερῆς Τροίην ἐς καλλιγύναικα·
ἔνθα δ' ἐγὼν ἐπ' ἄεθλα δαΐφρονος Ἀμφιδάμαντος
Χαλκίδα τ' εἰσεπέρησα· τὰ δὲ προπεφραδμένα πολλὰ
ἄθλ' ἔθεσαν παῖδες μεγαλήτορες, ἔνθα μέ φημι
ὕμνῳ νικήσαντα φέρειν τρίποδ' ὠτώεντα·
τὸν μὲν ἐγὼ Μούσαις Ἑλικωνιάδεσσ' ἀνέθηκα,
ἔνθα με τὸ πρῶτον λιγυρῆς ἐπέβησαν ἀοιδῆς·
τόσσον τοι νηῶν γε πεπείρημαι πολυγόμφων·
ἀλλὰ καὶ ὣς ἐρέω Ζηνὸς νόον αἰγιόχοιο·
Μοῦσαι γάρ μ' ἐδίδαξαν ἀθέσφατον ὕμνον ἀείδειν·

supposititios esse constat; quorum interpolationem jam Plutarchus agnovit, teste Proclo (v. 650.): *ταῦτα πάντα περὶ τῆς Χαλκίδος, τοῦ Ἀμφιδάμαντος, καὶ τοῦ ἄθλου, καὶ τοῦ τρίποδος, ἐμβεβλῆσθαί φησιν ὁ Πλούταρχος οὐδὲν ἔχοντα χρηστὸν .... πάντα οὖν ταῦτα ληρώδη λέγων ἐκεῖνος ἀπ' αὐτῶν ἄρχεται τῶν εἰς τὸν καιρὸν τοῦ πλοῦ συντεινόντων, ἤματα πεντήκοντα λέγων*

(conf. Muetzell. l. l. p. 372.). Itaque neque Lennepio (in com. vv. 646—662), neque Vollbehrio (l. l. p. 75.) assentimur, qui duobus locis apud ipsum Plutarchum (in conv. Sept. Sap. c. 10. p. 154. et in Conv. Quaest. V. 2. p. 674. seq.) nituntur, qui ad certamen Homeri et Hesiodi in Amphidamantis ludis funebribus spectant. Nam idoneum responsum est id, quod ipse Lennepius (l. c.) dicit: *posteriorem quidem locum non sine fastidii significatione exprimit.* Animadvertendum est praesertim, quod apud Proclum de versu 649:

οὔτε τι ναυτιλίης σεσοφισμένος, οὔτε τι νηῶν

legitur: *σημαιοῦται ὁ στίχος αὐτός· εἰπὼν γὰρ εἶναι ἄπειρος ναυτιλίας, πῶς ὑποτίθεται αὐτὴν, Εἰ μὴ εἰς Εὔβοιαν* (v. 651.), *οὐχ ἱμείρων τοῦ πλοῦ;* Sed cum iis discrepare videntur versus 682. 683:

εἰαρινὸς δ' οὗτος πέλεται πλόος· οὔ μιν ἔγωγε
αἴνημ' · οὐ γὰρ ἐμῷ θυμῷ κεχαρισμένος ἐστίν.

ex his enim poetam navigasse constat. Verum bene observat Hermannus, potuisse etiam eum, qui semel trans Eurippum Chalcidem ex Boeotia navigaverit, quemdam quasi maris horrorem experiri (apud Goettling. vv. 646—662.). Versus igitur 649. indicat poetam non ex professione, quasi nauticum, sed ex jure cognati et praecipue fratris majoris natu, navigationis praecepta partim ex propria experientia partim ex aliena statuere conatum esse. Eustathius (apud Dion. Perieg. v. 707.), si eum audire velis, haec profert: *Ἡσίοδος ἐν τοῖς περὶ τοῦ πλέειν λέγει, ὅτι λέξω, οὔτε τι ναυτιλίης σεσοφισμένος οὔτε τι νηῶν· οὐ γάρ πώποτε νηΐ γ' ἔπλευσα καὶ τὰ ἑξῆς, διδοὺς νοεῖν, ὅτι ὡς Μουσῶν ὑποφήτης* (vid. v. 662.) *οἶδε πάντα.* Neque in id offendere possumus, quod Heliconii tripodem, cujus mentio in versu 657. fit, adhuc apud se servari ferebant, teste Pausania (IX. 31.): *Ἐν δὲ τῷ Ἑλικῶνι καὶ ἄλλοι τρίποδες κεῖνται, καὶ ἀρχαιότατος, ὃν ἐν Χαλκίδι λαβεῖν τῇ ἐν Εὐρίπῳ λέγουσιν Ἡσίοδον νικήσαντα ᾠδῇ·* qui vero si versus hos pro Hesiodeis habuisset, sine dubio hujus loci memor fuisset, nec prorsus Amphidamantis nomen neglexisset. Neque dicitur, quis ab Hesiodo victus fuerit; nam Pausanias tantum *νικήσαντα ᾠδῇ* tradit; quod certe offensionem facit. Praeterea, ut bene animadvertit Goettlingius (v. 657.), epigramma Pausanias non legit in tripode, quem vidit. Videtur igitur epigramma, quod Dio Chrysostomus (in Or. II. de Regno p. 76. Reisk.) tradit illi in Helicone tripodi inscriptum fuisse:

Ἡσίοδος Μούσαις Ἑλικώνισι τόνδ' ἀνέθηκεν
ὕμνῳ νικήσας ἐν Χαλκίδι θεῖον Ὅμηρον,

legisse apud auctorem Homeri et Hesiodi certaminis, qui sic tripodi inscripsisse Hesiodum refert. Versus 642—662. Goettlingio adjecti fuisse videntur ab eodem rhapsodo, qui versus 632—642. addiderat. Twestenius (l. l. p. 58.) versus 648—662. Hesiodo abjudicat. Hermannus (in cens. Goettling. p. 247.) interpolationem in versibus 656—659. agnoscit. Rankius (l. l. p. 21. seq.) Pausaniae loco supra citato praesertim adnitens genuinos esse versus 646—662. contendit (conf. etiam Bod. l. l. p. 263.

not. 3.; Vollbehr. l. l. p. 75.). Lennepius sic jubet (in com. vv. 646—662.): *quod si sola Plutarchi auctoritas satis movere nos non debet, ut spurios versus 650—662. habeamus, cum in iis nihil appareat, quo minus Hesiodei censeantur, superiores etiam pro talibus agnosci consentaneum est, quos neque Plutarchus sollicitandos duxit, quorumque non pauci versus colorem prorsus Hesiodeum exhibent, ut statim vv. 646 et seq.*

Multum apud antiquos disputatur de tempore, quo Hesiodus vixerit (conf. Senec. Epist. XXXVIII.). Ipse Pausanias, quid pro certo habeat, nescit (IX. 30.). Sunt qui antiquiorem Homero faciunt Hesiodum: ita Ephorus (apud Gellium III. 11.), Marmor Parium (Chronic. marm. Oxon. p. 10. ed. Wagner., quod Hesiodum 161. annos ante Olympiades floruisse exhibet, Homerum 130 annos), Philostratus et Lucius Attius (apud Gell. l. c.), Suidas (v. *Ἡσίοδος*. Vid. etiam Sextum Empiricum contra mathemat. I. p. 41.), aliique (apud Goettling. in praef. p. XVI. seq.). Qui Homero contemporaneum dicunt, Herodotus est (II. 53.), quocum consentiunt Euthymenes in chronicis et Archemachus in tertio Euboicorum (v. Clement. Alex. strom. I. p. 239. Sylb. apud Goettling. in praef. p. XVIII.); ad quae ipse Goettlingius animadvertit: *mihi igitur nunc fere acquiescendum esse videtur in sententia Herodoti, qui Hesiodum*, i. e. *Theogoniae poetam, et Homerum quadringentis fere annis suam ipsius aetatem dicit antecedere.* Cassius (apud Gell. XVII. 21.), Marcus Varro (l. l. III. 11.), Cicero (in Cat. Maj. c. XV.), Vellejus Paterculus (in histor. Rom. I. 7.) et Porphyrius (apud Suidam v. *Πορφύριος*) recentiorem Homero pronuntiant Hesiodum. Ex recentioribus, qui Hesiodum post Homerum vixisse volunt, Thierschius est legendus (Denkschr. der Münch. Akad. 1813. p. 13. seqq. Acta phill. Monacc. I. p. 309. seqq.) et Bodius (l. l. p. 417. 432.). Primus, qui de aetate Homeri et Hesiodi duobus scripsit libris, Heraclides Ponticus fuisse dicitur (apud Diogen. Laert. V. 6. 4.), quem posterius Chamaeleo sine ullo arbitrio rescripsisse videtur.

Versus 683. 684:

αἴνημ᾽· οὐ γὰρ ἐμῷ θυμῷ κεχαρισμένος ἐστὶν,
ἁρπακτός· χαλεπῶς κε φύγοις κακόν· ἀλλά νυ καὶ τὰ,

sic corrigendos censuit Hermannus (l. c.)

. . . . *ἐστίν·*
ἁρπακτὸν χαλεπῶς κε φύγοις κακόν· . . . . . .

Lehrsius (l. l. p. 211.) sic:

. . . . *ἐστίν.*
ἁρπακτός! χαλεπῶς κ. τ. λ.

Vollbehrius novissime (l. l. p. 77.) sic:

. . . . *ἐστίν,*
ἁρπακτήρ (conf. Il. *Ω.* 262. Callim. Epigr. II. 3.)· *χαλεπῶς κ. τ. ἑ.*

Sed codices non variant, teste Lennepio (in var. lect. ad h. v.), nec sollicitanda videtur vulgata. Praeterea recte Proclus (v. 678.) vocabulum

ἁρπακτός explicuit: *τὸν ἐαρινὸν πλοῦν λέγει παραβολώτατον εἶναι, διὸ καὶ ἁρπακτικὸν αὐτὸν καλεῖ. Τὸ γὰρ συνεχὲς οὐκ ἔχει τὰ πνεύματα, καὶ μόλις ἄν τις ἁρπάσειεν ἐπιτηδείου πνεύματος προσβολὴν εἰς τὸ διανύσαι τὸν πλοῦν, ὃν στέλλεται, μετ' ὀξύτητος.* Et (v. 684.): *ἁρπακτικός, φησιν, ὁ τοιοῦτος πλοῦς. Ἐὰν οὖν ἐπιτύχῃς, ἥρπασας αὐτόν.* Recte etiam Lennepius (in com. v. 684.) interpretatus est: *ἁρπακτὸς i. e. quae navigatio nulla esse potest, nisi rapta, cito occupata et occupanda, cum et ante et post breve tempus illud indicatum varia et procellosa sit tempestas.* Goettlingius cum aliis vulgatam bene retinuit.

Nunc venimus ad aliam quaestionem, utrum male viveret Cumis poetae pater ideoque profugus esset, an non? At Cumis ipsum satis opulentum fuisse plane declarant loci: *βίου κεχρημένος ἐσθλοῦ* (v. 634.), et: *οὐδὲ μὲν ἐσθλὸς ῥηϊδίως φερέμεν δύναται* (v. 214. seq.). His accedunt, quae Plutarchus recte exposuit: *δειλὸς βροτός· ὁ ἀγενής, ὁ ἀσθενέστερος* (genere atque opibus inferior)· *ἐσθλός· ὁ τῇ τύχῃ καὶ τῇ δυνάμει προέχων.* Itaque Procli explicatio, qui *ἐσθλοὺς τοὺς κατ' ἀρετὴν προέχοντας* intellexit, non est approbanda. Tzetzes (v. 212.) dicit: *δειλός· ἀγενὴς ἢ ἀγεννής.* Similia docet etiam Moschopulus (v. 293.) et Glossa Vindobonensis Codicis (in Actt. Monacc. III. 405.). Ut hic *ἐσθλὸς* et *δειλὸς*, ita *ἀγαθοὶ* et *δειλοὶ* opponuntur sibi invicem in proverbio apud Athenaeum (V, p. 178. B. Lege Welckeri prolegomena ad Theogn. p. XXII. seqq.). Unde *δῖον γένος* (v. 299.) scribendum est, i. e. genus spectatum sive nobile, neque *Δῖον γένος* aut *Δίου γένος* (in Certam. Hom. et Hesiod. p. 320. et Goettling.: *Ἡσίοδ', ἔκγονε Δίου*), ut multi recentiorum scribunt (conf. Wolf. Alterthumswissenschaft II. p. 188. ed. Guertler.; Lehrs. l. l. p. 243.; Goettling. v. 299.). Proclus (v. 295.) ambiguam reddit interpretationem: *τὸ δῖον γένος δηλοῖ, ἢ ὅτι θεοῖς ἀνέφερον τὴν γένεσιν· εἰς γὰρ Ὀρφέα καὶ Καλλιόπην τὸ γένος ἀνῆγον· ἢ εὐμενοῦς οὔσης τῆς θεοῦ τῆς δωρησαμένης αὐτοὺς* (conf. Anonym. in Crameri Anecdotis Oxon. III. p. 193.). Similia docent Tzetzes (v. 301.): *Πέρση, δῖον γένος· ἢ Δίου, ἢ εὐγενὲς γένος·* et Moschopulus (v. 301.): *δῖον γένος· τὸν Πέρσην λέγει, ἢ διότι παῖδες Δίου τινὸς ἦσαν, ἢ διότι εἰς θεοὺς ἀνέφερον τὴν γένεσιν· εἰς γὰρ Ὀρφέα καὶ Καλλιόπην τὸ γένος ἀνῆγον. Δίου γένος*, conjecturam Sevini (Hist. Acad. Inscr. T. III. p. 122.) ex Suida (v. *Ἡσίοδος*) et Procli prolegomenis ineditis confirmare studuit Ruhnkenius (ad Vell. Paterc. p. 26). Sed *δῖον γένος tuentur tum Codices, quod sciam*, Lennepius (in var. lect. ad h. v.) ait, *omnes, tum Plutarchus (T. II. p. 1047. F.) et Cornutus (inter Opuscula Galei p. 211.) Ex Scholiastis discas, fuisse, qui Δῖον (pro Διΐον) eadem sententia dictum putarent.* Hos secuti, *Δῖον γένος* ediderunt Spohnius, Boissonadius (conf. Wachler. Anmerk. zu Hesiod's moral. und öconom. Vorsch. p. 141.), Gaisfordius aliique (conf. Goettling. in praef. IX.). Ex versu 299. videtur Ephorus (apud Pseudoplutarch. vit. Hom. I. 2. Marx. p. 268.) nomen *Δίου* Hesiodi patris finxisse, ut patriam suam celebrasset, ideoque non sine jure suspicatur: *Ἔφορος μὲν οὖν ὁ Κυμαῖος ἐν συντάγματι τῷ ἐπιγραφομένῳ Ἐπιχωρίῳ Κυμαῖον αὐτὸν (Ὅμηρον) ἀποδεικνύναι πειρώμενός φησιν, ὅτι Ἀπελλῆς καὶ Μαίων καὶ Δῖος ἀδελφοὶ Κυμαῖοι τὸ γένος· ὧν Δῖος μὲν διὰ χρέα μετῴκησεν εἰς Ἄσκρην,*

κώμην τῆς Βοιωτίας, κἀκεῖ γήμας τὴν Πυκιμήδην ἐγέννησεν Ἡσίοδον. Ἀπελλῆς δὲ τελευτήσας ἐν τῇ πατρίδι Κύμῃ κατέλιπε θυγατέρα Κρηθηΐδα τοὔνομα, προστησάμενος αὐτῇ τὸν ἀδελφὸν Μαίονα· ὃς διακορεύσας τὴν προειρημένην καὶ τὴν ἀπὸ τῶν πολιτῶν ἐπὶ τῷ γεγονότι δείσας κατάγνωσιν ἔδωκεν αὐτὴν πρὸς γάμον Φημίῳ τῷ Σμυρναίῳ, διδασκάλῳ γραμμάτων· φοιτῶσα δὲ αὐτὴ ἐπὶ τοὺς πλυνούς, οἳ ἦσαν παρὰ τῷ Μέλητι, ἀπεκύησε τὸν Ὅμηρον ἐπὶ τὸν ποταμὸν, καὶ διὰ τοῦτο Μελησιγενὴς ἐκλήθη (conf. Bod. l. l. p. 423.; Goettling. in praef. p. XI.). Sed Hesiodi patrem ad inopiam redactum emigrasse liquet ex versibus 637. 638:

οὐκ ἄφενος φεύγων οὐδὲ πλοῦτόν τε καὶ ὄλβον,
ἀλλὰ κακὴν πενίην, τὴν Ζεὺς ἄνδρεσσι δίδωσι.

Quin ex versu 29:

νείκε' ὀπιπτεύοντ', ἀγορῆς ἐπακουὸν ἐόντα,

ipsum patrem Ascrae civitate donatum esse apparet; unde Ascraeum vocatum; soli enim cives fori participes erant (conf. Wolf. ad Leptin. p. 18. Alterthumswissenschaft IV. p. 160.; Valckenaer. ad Theocrit. II. p. 50. ed. Heind.). At possetne poetae pater, ut ἀτίμητος μετανάστης, propter egestatem (v. 638.) Ascrae civitatem consequi? Antiquis enim temporibus ἀτίμητοι μετανάσται audiebant ii, qui postea μέτοικοι dicebantur, ut Aristoteles (in Pol. III. 3.) docet: λέγεται μάλιστα πολίτης ὁ μετέχων τῶν τιμῶν, ὥσπερ καὶ Ὅμηρος ἐποίησεν (in Il. *I.* 648. *Π.* 59.), ὡς εἴ τιν' ἀτίμητον μετανάστην· ὥσπερ μέτοικος γάρ ἐστιν ὁ τῶν τιμῶν μὴ μετέχων. Proclus (v. 637.) de Hesiodi patre haec addit: λέγουσι τὸν πατέρα Ἡσιόδου πένητα ὄντα, δανειστὰς πολλοὺς ἐσχηκέναι, διὸ καὶ πέφευγε τὴν πατρίδα· et (v. 635.): ἐπειδή τινες φεύγουσι τὴν πατρίδα μηδενὸς δεόμενοι· οὗτος δὲ πένης ὢν διέφυγε. Tzetzes (v. 635.) haec: οὐ πλουτῶν πέφευγεν ἀλλὰ διὰ χρείαν. Moschopulus (v. 635.) haec: οὐ πλούσιος ὢν ἔφευγεν, ὅπερ τινὲς ποιοῦσι φεύγοντες τὴν πατρίδα μηδενὸς δεόμενοι, ἀλλὰ πένης. Verum postea opes crevisse videntur; nam ipse Hesiodus in Helicone oves pascebat, ut versus 23. in Theogonia plane declarat:

ἄρνας ποιμαίνονθ' Ἑλικῶνος ὑπὸ ζαθέοιο.

quod etiam patrimonii partitio, patre mortuo, affirmat. Itaque scrupulum praebet vox πενίη (v. 638. Conf. etiam Cor. in Aethiop. II. p. 210.), quae hic paupertatem significat nec egestatem, ut Goettlingius aliique volunt, sicut Aristophanes (in Plut. vv. 552. seqq. ed. Bergk.) docet:

πτωχοῦ μὲν γὰρ βίος, ὃν σὺ λέγεις, ζῆν ἐστιν μηδὲν ἔχοντα·
τοῦ δὲ πένητος ζῆν φειδόμενον καὶ τοῖς ἔργοις προσέχοντα,
περιγίγνεσθαι δ' αὐτῷ μηδὲν, μὴ μέντοι μήδ' ἐπιλείπειν.

At Proclus commendat adhuc (v. 635.): Ἔφορος δέ φησι τοῦτον (τὸν πατέρα) εἰς Ἄσκρην ἐλθεῖν οὐ δι' ἐμπορίαν, ἀλλὰ φόνον ἐμφύλιον ἐργασάμενον. Cum quibus conferatur etiam Vellejus Paterculus (hist. Rom. lib. I. c. VII. 1.): qui (Hesiodi pater) vitavit, ne in id, quod Homerus, incideret: patriamque et parentes testatus est; sed patriam, quia multatus ab ea

erat contumeliosissime (vid. Ruhnken. ad h. l.). Qua re ita se habente, patrem poetae domo profugum fuisse, secumque, quae moveri potuerint, portasse; unde amplissime lucet ipsum, supplicio Cumis evitato, κακὴν πενίην (v. 638.) fugisse. Quod cum moribus illius temporis non discrepat; nam sua sponte pōtuerit homicida profugus esse patria, si nullam poenam subire voluerit (conf. Wolf. Alterthumsw. IV. p. 84.; Naegelsbach. Homer. Theologie p. 249.). Unde locus: βίου ἐσθλοῦ (v. 634.) opponitur loco: κακὴν πενίην (v. 638.) i. e. βίον δειλὸν (conf. δειλὸς ἀνὴρ v. 712.).

In versibus 695—764. agitur de nuptiis nec non de multis praeceptis moralibus, quae secundum poetam utilissima ad opes comparandas sunt et ad bene vivendum conferunt. Sicut antea (v. 694.): μέτρα φυλάσσεσθαι· καιρὸς δ' ἐπὶ πᾶσιν ἄριστος, ita et nunc per mentionem τοῦ ὡραίου (v. 695.) omnia in justo modo ac tempore Persae commendantur. Procli judicium de hac carminis parte hoc est (ad h. v.): τὰ μὲν περὶ ναυτιλίας αὐτῷ διδάγματα τέλος ἔχει· τὰ δὲ ἑπόμενα κοινά εἰσιν εἰς πᾶσαν τείνοντα τὴν τῶν ἀνθρώπων ζωήν, οὐ γεωργησόντων οὐδὲ θαλαττουργησόντων· ὧν πρῶτόν ἐστι τὸ περὶ γάμου, καὶ τὸν καιρὸν ὁρίζει καὶ τῷ γήμαντι καὶ τῇ γαμηθησομένῃ, καὶ γὰρ τοῦτο ἀκόλουθον ἦν τῷ τὸν καιρὸν ἄριστον εἶναι πᾶσι κ. τ. λ. Goettlingius de hac carminis parte ita sentit (ad h. v.): *sequitur nunc alia carminis pars, quae ethica praecepta complectitur, Pythagorae symbolis simillima. Conf. 707. 725. 742. 748. Nec haec quidem una continua cogitationum serie cohaerent.* Immo vero nobis rectum esse videtur judicium, quod Lennepius (in com. vv. 695. seqq.) reddit: *ad Persen autem hic quoque sermonem dirigi, verosimile fit eo, quod etiam sequentium multa in eum praecipue cadere videntur hominem, qui neque θεῶν ὄπιν satis respiceret, eoque esset ingenio, ut fratri, recta et vera monenti, facile suis similem moribus sodalem nisi anteponeret, certe juxta fratrem et quasi fratris loco diligeret; malos potius, quam bonos sectaretur; bonis adeo saepe conviciaretur et omnino lingua parum modeste et prudenter uteretur.* Vollbehrius (l. l. p. 78.) de hac ipsa re haec profert: *quo in loco, sicut in versibus 327—380.* (in s. ed. 329—382.), *quamvis posse nonnulla aliter, quam nunc legimus, ab ipso Hesiodo constituta esse vix infitias iverim, tamen pariter vestigia apparere contendo, ex quibus cur hunc potissimum praeceptorum ordinem poeta secutus sit, satis agnoscatur. Primum enim Hesiodus rei familiaris bene curandae doctor etiam de uxore praecipere debebat, praesertim quum feminarum cautio jam saepius commemorata esset. Conf. Pandor. fabul. et vv. 373 seq.* (in s. ed. vv. 375. seq.).

In versibus 696. 697:

μήτε τριήκοντα ἐτέων μάλα πολλ' ἀπολείπων
μήτ' ἐπιθεὶς μάλα πολλά. γάμος δέ τοι ὥριος οὗτος,

Perses non solum caelebs videtur, quum poetae carmen composuerit, sed etiam tringita annis junior fuisse; qua aetate mores facile depravantur. Recte igitur Lennepius (in com. vv. 695 seqq.) observat: *ceterum si poeta in his, ut in praecedentibus, fratrem alloquitur, hunc tum adhuc*

et coelibem et triginta annis juniorem fuisse sequitur: nec sane repugnat supra versus 399., cum is intelligi possit de tempore, quo Persae futuri essent uxor et liberi: et vero omnia, quae de Persa in hoc carmine traduntur, ejusmodi sunt, ut juvenilem ejus aetatem et protervam hinc levitatem arguere videantur. Versum 696. respiciunt Plato (de Republ. V. p. 460., de Legg. VI. p. 772.), Aristoteles (Pol. VII. 14.), Plutarchus (in Amat. c. 8. p. 753. A.) et Eustathius (ad Il. p. 97. Conferatur etiam Brunckius in Anal. III. p. 229.).

Denique a versu 765. usque ad finem calendarium vetustissimum et maxime necessarium adjungitur, in quo fausti et infausti dies praecipiuntur. Plutarchus (in Camill. c. XIX. Tom. I. p. 253. ed. Cor.), qui, teste Gellio (XX. 8.), fuit Hesiodi commentator, nihil, quod traheret ad suspicandam hanc carminis partem, profert. Recte Vollbehrius (l. l. p. 79. seq.) ait: *atque quum Hesiodus antea labori operam dandam esse dixerit, quod ipsi dii hominibus labores indicassent (Ἔργα τά τ' ἀνθρώποισι θεοὶ διετεκμήραντο v. 398.* in s. ed. 400.), *ideoque proprios unicuique operi menses significarit, plane consentaneum est, nunc poetam amplius etiam singulos operum dies, qui et ipsi ab significata deorum voluntate pendeant, accurate definire. Neque in hac ultima carminis parte ab ea componendi lege, quam saepius deprehendimus, poeta declinasse videtur.* Similia docet etiam Lennepius (in com. 765. seqq.): *esse dierum alios faustos, alios infaustos, et faustorum alios ad aliam rem agendam, constans fuit antiquitatis opinio, quamvis pro diversis seculis et locis varia fuerint hominum super certis diebus, vel faustis vel infaustis habendis, judicia. Ceterum in primis semper agricolae fuerunt, qui multum opinioni illi tribuerent, plurimamque ejus rationem haberent. Itaque Hesiodum etiam videmus post praecepta de agricultura tradita hac postrema carminis sui parte pro sui seculi suâve ipsius opinione exponere, qui dies mensis prae ceteris ad certas res agendas utiles habendi eligendique sint, referentem etiam subinde, qua de causa certus dies vel faustus vel infaustus sit (vid. vv. 771. 776. 803.), quamvis in universum felicitatis vel infelicitatis dierum causas ab Jove repetat, versu hic 766. et mox v. 769.* (conf. Procl. v. 765.). Hanc carminis partem arctissime cum praecedentibus junctam esse ostendit etiam Rankius (l. l. p. 18. seq. p. 39. Conf. etiam Bod. l. l. p. 432.). Fortasse ab hac parte nomini Ἔργων et τὸ Ἡμερῶν appositum esset. At incertum est, quem titulum ipse poeta huic carmini inscripserit. Rankius (l. l. p. 1.) de hoc recensuit sic: *quod quidem judicium ut multis caussis rationibusque stabiliri, ita nulla re magis confirmari posse videbatur, quam eo carmine, quod Ἔργα et Ἡμέραι si non ab Hesiodo ipso, certe jam antiquissimis temporibus vocatum est summaeque vetustatis vestigia nemini non ostendit.* Immo Goettlingius (in praef. p. XXXVI.) haec dixit: *ac primum quidem potest vel leviter inspicientibus Calendarium istud posterius adjectum esse. Ἔργα enim primo appellantur haec carmina (Pausan. IX. 31.) nec Aristophanes (Ran. 1031.) nosse videtur ἡμέρας, postea vero Ἔργα καὶ Ἡμέρας, quum calendarium adjectum esset (cf. ut hoc exemplo utar, Etym. M. p. 38., 14.). Nec a Boeoto profectum esse potest calendarium propter fabulam de Appolline*

nato die septima Thargilionis mensis ("Εργ. 771.), quae ad Delios, non ad Boeotos pertinet (v. Valckenaer. ad Aristob. p. 113. Mueller. Dor. I. p. 309. Cf. Lobeck. Aglaoph. p. 434.).

Versus 777—779:

> τῇ γάρ τοι νεῖ νήματ' ἀερσιπότητος ἀράχνης
> ἤματος ἐκ πλείου, ὅτε τ' ἴδρις σωρὸν ἀμᾶται·
> τῇ δ' ἱστὸν κ. τ. λ.

fortasse scribendi sunt:

> τῷ γάρ τοι νεῖ τ' ἤματ' ἀερσιπότητος ἀράχνης
> νήματος ἔμπλειος, ὅτε τ' ἴδρις σωρὸν ἀμᾶται·
> τῷ δ' ἱστὸν κ. τ. λ.

Versum 777. citat integrum, ut Hesiodi, Suidas in vv. νεῖν· ἀράχνη· verba autem inde νεῖ νήματ' Etym. M. p. 603. 35. et p. 135. 1.: νεῖ νήματ' ἀράχνης Eustath. ad Il. p. 1166. 57., qui ad νεῖ h. l. respicit etiam ad Od. p. 1436. 34. ad Il. p. 420. p. 1160. 39. p. 1312. 4. Thom. Mag. in v. ἀράχνη. Conferatur etiam Bekkerus (in Anecdotis graecis p. 442. apud Lennep. ad h. v.). De loco ἤματος ἐκ πλείου (v. 778.) haec exposuit Lennepius (ad h. v.): *die expleto* Basileensis reddidit, et hinc alii usque ad Graevium, qui *die adulto*, obsecutus Scaligero de Em. Temp. I. p. 4. Probans hoc etiam Clericus „Gallice, inquit, ad verbum exprimas *en plein jour, hoc est medio die.*" Sed araneam jam sub ortum solis telam inchoare tradit Aristoteles H. A. IX. c. 26., 5. Schneid., neque formicae, ut operentur, medium diem exspectant, quas vel noctu plena luna operari tradit Plin. XI. 30. Itaque ἤματος ἐκ πλείου potius accipias, ex quo dies factus est πλεῖος *longus*, ut significet poeta diem duodecimum non quemvis, sed aestivi mensis, quo tempore etiam tondentur oves, metuntur segetes. Anonymus Scholiasta (ad h. l.) haec praecepit: ἐν ᾗ νήθει τὰ νήματα αὐτοῦ ὁ ἐν τῷ ἀέρι πετόμενος ἀράχνης, ὅταν ὡς ἔμπειρος ἀνὴρ, ὁ μύρμηξ θησαυρὸν ἑαυτοῦ σωρεύῃ ἐκ πληρεστέρας ἡμέρας ὑπὲρ τὴν νύκτα, Ἰουλίου καὶ Αὐγούστου (conf. etiam Goettling. v. 778.).

In fine hujus dissertationis de Hesiodi Operibus et Diebus non immerito, opinamur, adjungitur ὀρθοδοξία, quam Rankius (l. l. p. 49. seq.) cum aliis de hoc carmine expressit: *quod quidem hoc magis laudandum est, quia ab initio usque ad finem carminis rectissime stetit* (poeta) *in consilio suo, neque tam saepe quidquam, neque tam vehementer commendavit, quam unam omnis felicitatis humanae caussam et originem summam esse in deos reverentiam, quae toto vitae genere probetur...... Unum enim esse et continuum carmen, affirmavit Hermannus, Vir Summus, in censura exempli Goettlingiani; affirmavit Ot. Muellerus meus in Graecorum litterarum historia anglice edita; affirmavit Nitschius in celeberrimis commentationibus de Homerica poesi; affirmaverunt viri clarissimi, Klausenius* (*de Musarum carmine in Rhenano Museo*), *et his ultimis diebus Bodius in epicae poesis historia p. 434.; postremo quod summum est, Graecorum Romanorumque scriptorum chorus amplissimus, una et consentiente*

voce affirmarit. Cum quibus conferantur Lennepius (in praef. p. 1.) Vollbehriusque (l. l. p. 82.), quorum ille haec scripsit: *qui circa illud carmen* (Theogoniam) *meam, ut dicam, ὀρθοδοξίαν non nimis aegre tulerunt Viri Docti, facilius etiam, ut spero, illam in meo ad Opera et Dies Commentario ferendam existimabunt, cum neque Veterum quisquam de Auctore ejus carminis dubitaverit, et quas partes ejus de interpolatione suspectas Recentiorum quidam habuerunt, easdem alii mecum tutati sint haud pauci.* Hic sic censuit: *expromsi quaecumque ad sententiam meam, qua hoc Hesiodi operum et dierum carmen simplex et unum continuumque esse professus sum, dispicere atque investigare potui.*

LIPSIAE, EX OFFICINA GIESECKE & DEVRIENT.

CORRIGENDA.

pag. 3. v. 7. pro D. lege A. D. — pag. 5. v. 14. pro *μαὶ* lege *καὶ* — pag. 8. v. 35. pro hanc comprobamus lege haud comprobamus — pag. 12. v. 42. pro *ἀτάσχαλα* lege *ἀτάσθαλα* — pag. 31. v. 42. pro *δέχατα* lege *δέχεται* — pag. 33. v. 14. pro *καὶ χειρὶ* lege *μὴ χειρὶ* — pag. 34. v. 17. pro Langius lege Lanzius — pag. 39. v. 42. pro *Μιτυῶν* lege *Μινυῶν* — pag. 43. v. 24. pro et Goettling. lege ed. Goettling. — pag. 44. v. 40. pro *ἐλθειν* lege *ἐλθεῖν* — pag. 45. v. 43. pro poetae carmen lege poeta carmen.